This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

760
K96
s

$B 98 435

Digitized by Google

K96

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA
Ga. 1
I 925

SYMBOLA CRITICA

AD

GRAMMATICOS LATINOS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

ANTE DIEM VI. NON. OCTOB. ANNI MDCCCLXXX

H. XII.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

HERMANNUS KUMMROW

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

G. KNAACK, DR. PHIL.

F. MÜNSTER, SEM. REG. PHIL. SOD.

R. Klotz, SEM. REG. PHIL. SOD.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Index capitum.

		pag.
I.	Q. Terentii Scauri fragmenta, quae apud posteriores grammaticos vel commentatores auctoris nomine apposito servata sunt, componuntur	1—8
II.	Quae ratio intercedat inter Diomedem et Charisium, Donatum, Sacerdotem, et qua ratione exscribendi usus sit Diomedes	9—15
III.	Quot auctores Diomedes secutus sit in capite 'de metaplasmis' (p. 440, 27 sqq.). .	16—29
IV.	Quot et quos auctores Diomedes contaminaverit in capite 'de schematibus' (p. 443, 5 sqq.)	30—51
V.	Qu. Terentii Scauri quae supersunt de metaplasmis et de schematibus	52—56

498605

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

Cap. I.

Q. Terentium Scaurum[1]), Hadriani temporibus grammaticum vel nobilissimum (Gell. Noct. att. XI, 15, 3)[2]) et ipsius Hadriani grammaticum (Iul. Capitol. in Vero 2, 5), qui commentarios in Plautum (cf. Ritschelii Parerg. 374 sqq.), in Vergilium (cf. Ribbeck. proll. in Verg. 171 sq.), in Horatii libros decem[3]) composuit scripsitque de Caesellii erroribus, de orthographia (Gr. lat. VII, p. 11 sqq.), de litteris novis (Gr. lat. l. l. 33, 11), etiam artem grammaticam composuisse docent cum frustula apud Diomedem et Sergium (explanat. in Donati art.) servata, quae ex nullo alio libro nisi ex 'arte' fluxisse possunt, tum constat diserto Iulii Romani testimonio apud Charisium p. 131, 1: 'Scaurus in arte grammatica' et p. 136, 16: 'inquit Scaurus artis grammaticae libris'.

1) de Scauro nuper breviter disputavit Keil Gr. lat. VII, p. 7 sq.

2) Scaurum etiam saeculo quarto inter praeclaros grammaticos numeratum esse testatur Ausonius epist. (ad Ursulum grammat.) 18, 25:

Ursule collega nobilis Harmonio,
Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus et Asper,
Quem sibi conferret Varro priorque Crates.

cf. et Auson. praef. ad Syagr. v. 18:

et nomen grammatici merui,
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
Aemilium (sc. Asprum) aut Scaurum Berytiumque Probum.

3) cf. Zangemeister 'De Horatii vocibus sing.' p. 40—42, qui adstipulante Birtio 'De halieuticis Ovidio poetae falso adscriptis' (p. 199 sq.) p. 42 recte statuit Scaurum non artem poeticam scripsisse, 'sed in Horatii poemata omnia ita commentatum esse, ut singulis Horatii libris singulos commentarii libros tribueret. etenim si duo sermonum libros, singularem epodon, quattuor carminum, duo epistularum et singularem de arte poetica conputaveris, decem commentariorum in Horatium libros efficies; ac proinde decimus liber ad artem poeticam pertinebat, quam prioribus temporis non, ut postea, pone carminum libros ante epodos aut post carmen saeculare ante sermones et epistulas (v. Bentl.[3] praef. XVIII sq.) collocatam fuisse, sed post epistulas consentaneum est.'

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

Huius artis, qua Scaurus de singulis orationis partibus ceterisque rebus, quae ad artem grammaticam pertinent, non longis et doctis disputationibus videtur disseruisse sed artigraphi more modoque quam brevissime simplicissimeque res absolvisse, reliquias cum colligere et ordinare susceperim, hac occasione oblata ceterorum quoque Scauri scriptorum fragmenta componam.

I. Commentarii in Plauti fabulas.

1. Rufin. comm. in metra Terent. Gr. lat. VI, 565, 1: Mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum dicunt hi: Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro e. q. s.

2. Rufin. l. l. 561, 2: Scaurus in eadem fabula (sc. in Pseudulo) sic: 'Nunc iam: iam divisit in duas syllabas metri causa'[4]).

II. Commentarii in Vergilium[5]).

3. Servius in Aen. 3, 484: Nec cedit honori: id est tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius; hoc enim est 'honori non cedere' parem esse meritis accipientis. Scaurus vero 'honore' legit et intellegit: honore non cedit Heleno, qui patri eius vel avo donaverat multa.

4. Schol. Veronens. in Aen. 4, 146 (p. 93, 10 K): Scaurus: Cretes, quia responso accepto ex insula Creta profecti esse et ducem secuti Delphum Phocidam tenuisse dicuntur atque ab eo se Delphos nominasse, ut Phalarchus ('Phylarchus' coniecit Keil) ait.

5. ibid. in Aen. 5, 95 (p. 95, 1 K): Incertus geniumne loci. Scaurus: erudite, nam ait ex medullis corporum anguis nasci, ut equorum et boum et vitulorum apes — — — danti qui eos in monumentis defodibant.

III. Commentarii in Horatium.

6. Porphyrio in Hor. sat. II, 5, 92: stes capite obstipo: tristi ac severo. Scaurus 'inclinato' dicit.

---

4) haec adnotatio secundum Ritschelium l. l. 376 ad unum pertinet e quatuor Pseuduli locis hisce: 1, 1, 116; 1, 5, 82; 1, 5, 133; 1, 5, 144. — quod autem R. etiam Rufini verba praecedentia Scauro tribuit, interpolata veterum editionum lectione usus est. cf. Keilii adnot. crit. ad Rufin. l. l. et Gr. lat. VII, 7.

5) de industria inter fragmenta non recepi locum lacunosum Schol. Veronens. in Aen. 12, 684 (p. 107, 19 K): 'ita erumin — sus dicam — Scauru — oppu —'; neque Ribbeckio, qui in schol. Bernensi ad Verg. eclog. 8, 65: 'verbenas genus herbae castissimae vel *ex loco sancto sumptae*, ut Terentius et Iunilius dicunt' Terentium intellegendum esse Scaurum nostrum coniecit (proll. p. 172), assentiri possum, cum explicatio illa hausta sit ex Terentii Andr. IV, 3, 11: '*ex ara hinc sume verbenas tibi*'. cf. Hagen Schol. Bern. adnot. crit. ad l. l.

Digitized by Google

7. Charisius (= I. Romanus) p. 202, 26: 'Impariter' Horatius epistolarum (II, 3, 75):

versibus impariter iunctis;

ubi Q. Terentius Scaurus in commentariis in artem poeticam libro X 'adverbium' inquit 'figuravit'[6]).

8. Charis. (= I. Romanus) p. 210, 19. Primus pro in primis, ut Maro (Aen. 1, 1):

Troiae qui primus ab oris;

ubi Q. Terentius Scaurus commentariis in artem poeticam libro X 'non qui ante omnes' inquit 'sed ante quem nemo est'[7]) et addit 'quo genere plures primi accipi possunt'.

IV. De Caesellii erroribus[8]).

9. Gellius N. A. XI, 15, 1: Laberius in Lacu Averno mulierem amantem, verbo inusitatius ficto, 'amorabundam' dixit. id verbum Caesellius Vindex in commentario lectionum antiquarum ea figura scriptum dixit, qua 'ludibunda', 'ridibunda' et 'errabunda' dicitur ludens et ridens et errans. Terentius autem Scaurus divi Hadriani temporibus grammaticus vel nobilissimus inter illa, quae de Caeselli erroribus composuit, in hoc quoque verbo errasse eum scripsit, quod idem esse putaverit 'ludens' et 'ludibunda', 'ridens' et 'ridibunda', 'errans' et 'errabunda'. nam ludibunda, inquit, et ridibunda et errabunda ea dicitur, quae ludentem vel ridentem vel errantem agit aut simulat.

V. ⟨De rebus per epistulam quaesitis⟩[9]).

10. Charis. (= I. Romanus) p. 209, 12: 'Obiter' divus Hadrianus sermonum I quaerit an Latinum sit, 'quamquam' inquit 'apud Laberium haec vox esse dicatur', et cum Scaurus Latinum esse neget, addit quia veteres 'eadem' soliti sint dicere non addentes 'via', ut sit *κατὰ ἔλλειψιν*, ut Plautus (Bacch. 1, 1, 15), inquit, 'eadem bibes, eadem tibi dedero savium'. quamquam divus Augustus reprehendens Ti. Claudium ita loquitur: 'scribis enim perviam *ἀντὶ τοῦ*

6) cf. A. Kiesslingii 'De personis Horatianis commentationem' (ind. lect. Gryphiswald. a. 1880) p. 10. adnot. 12, ubi Scauri explicatione 'adverbium figuravit' collata cum Porphyrionis interpretatione 'inparibus' conicit ea quae apud Porph. ad A. P. 1 Neoptolemi Pariani auctoritate prolata sunt, fortasse ex Scauri commentariorum decimo in artem poeticam repetita esse.

7) cf. Servius in Aen. 1, 1: 'primus non ante quem nemo, sed post quem nullus.'

8) utrum Scaurus de Caesellii erroribus totum librum vel libellum conscripserit an per litteras (vide sequentem adnotationem) de his rebus egerit, discernere mihi non contigit.

9) has res, de quibus frg. 10 et 11 disseritur, per litteras ab Hadriano eiusque grammatico tractatas esse suo iure suspicatur Kiesslingius conferens Spart. Hadr. 15, 11: 'cum his ipsis professoribus et philosophis libris vel carminibus invicem editis saepe certavit'. sequitur narratio de Favorino qui, 'cum verbum eius quondam ab Hadriano reprehensum esset', male principi cesserit. inscriptionem vero mihi finxi ad Valgii 'de rebus per epistulam quaesitis'. cf. Charis. 108, 28 et 135, 23.

Digitized by Google

obiter'. sed divus Hadrianus 'tametsi' inquit 'Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id adverbium non usu potius quam lectione protulerit'.

11. Priscianus p. 547, 2: 'ambio' ab 'eo' compositum solum mutavit paenultimam e in i; itaque in 'io' quidem desinentium regulam servavit in participio et in supino, quippe producta paenultima, ambītus ambīta ambītum, in nomine autem sive vocabulo rei, differentiae causa in 'eo' terminantium regulam servans, corripuit paenultimam ambĭtus — ut Ovidius in I metamorphoseon (v. 37):

Iussit et ambitae circumdare litora terrae,

Lucanus in I (v. 179):

letalisque ambitus urbi
Annua venali referens certamina campo;

quamvis Scaurus in utroque similem esse tenorem putavit. sed Velius Celer respondens Hadriano imperatori per epistulam de hoc interroganti declinatione et tenore 'ambitus' nomen a participio ostendit discerni, quod usu quoque, ut ostendimus, confirmatur.

Quod ad Scauri libellos 'de orthographia' et 'de litteris novis' pertinet, huius frustula nobis servata sunt nulla[10]), illius fragmentum haud exiguum optime editum habes a Keilio Gr. lat. VII, p. 11 sqq. quamquam de hoc libello mihi hic non disputandum est, tamen de iis quae ei addita sunt (p. 29, 3 sqq.), breviter disserere opus est.

Clausulam enim libri de orthographia hanc: 'Haec sunt quae urgenti tempore complecti tibi in praesentia potui, siquid exemplis defecerit vel quaestionibus, subiungetur. nam quod ad rem maxime pertinet, regulam vides', sequuntur nonnulla quibus agitur de adverbio temporis 'cum', de adverbiis vel praepositionibus localibus, de i et ei litteris, de apicibus litterarum. cui expositioni imposita est altera clausula: 'Brevitatem huius libelli' e. q. s. p. 33, 11—13. haec igitur omnia non tam Varroni quam Scauro, illum secuto, deberi contra Usenerum (mus. Rhen. XXIV, p. 94 sqq.) docuit Keilius Gr. lat. VII, 9 sq. sed quod ei illa non ex libro 'de orthographia', sed ex alio (ex arte grammatica?) videntur petita esse, non opus est de alio Scauri libro cogitare, cum hunc grammaticum ipsum non minus quam excerptorem eius libello 'de orthographia' singulas quaestiones addidisse eluceat, ni fallor, ex prioris clausulae verbis 'siquid exemplis defecerit vel quaestionibus, subiungetur'[11]).

10) mentio fit semel Gr. lat. VII, p. 33, 11: 'Brevitatem huius libelli ('de orthographia'), si tibi videbitur, adglutinabis ei quem de litteris novis habes a me acceptum, quod ipse feci, quia huius pusillitas sub ipso decentius prodire quam per se censeri poterat.' — Brambach 'Neugestaltung der lat. Orthographie' p. 49: 'Was litterae novae sind, weiss ich nicht. Vielleicht beruht dieser Titel nur auf Missverständniss einer Abkürzung; Scaurus schrieb wol: quem de litteris novis*sime* habes a me acceptum'. sed probabilius est, quod de novis litteris Claudii imperatoris cogitandum esse coniecit Bergkius.

11) quae vero a Keilio p. 34, 5 sqq. ex codice Parisino addita sunt, eorum pars (34, 5—21)

Digitized by Google

Quibus interpositis nunc sequantur Scauri

VI. Artis grammaticae reliquiae.

12. Ars est cuiusque rei scientia usu vel traditione suscepta. **De arte.**

13. Littera est vocis eius quae scribi potest forma. elementum est minima vis et indivisibilis materia vocis articulatae vel uniuscuiusque rei initium, a quo sumitur incrementum et in quod resolvitur. **De littera et elemento.**

14. Oratio est ore missa et per dictiones ordinata pronuntiatio. oratio autem videtur dicta quasi oris ratio vel a Graeca origine, *ἀπὸ τοῦ ὀαρίζειν*, hoc est sermocinari. unde Homerus (Il. 10, 128): *ὀαρίζετον ἀλλήλοισιν.* **De oratione.**

15. Diomed. p. 300, 26: Partes orationis sunt octo, nomen pronomen verbum participium adverbium coniunctio praepositio interiectio; Scauro videtur et appellatio. **De partibus orationis.**

16. Diomed. 320, 14: Scaurus dissentit; separat enim a nomine appellationem et vocabulum. et est horum trina definitio talis: nomen est quo deus aut homo propria dumtaxat discriminatione enuntiatur, cum dicitur ille Iupiter, hic Apollo, item Cato iste, hic Brutus. appellatio quoque est communis similium rerum enuntiatio specie nominis, ut homo vir femina mancipium leo taurus. hoc enim animo auribusque audientis adfertur animalium esse quidem duo tantum genera, sed sine speciali discriminatione. nam nec quis homo nec quis vir nec quae femina nec quod mancipium nec qualis leo taurusve est definitur. appellationi accidunt eadem fere quae et nomini. item vocabulum est quo res inanimales vocis significatione specie **De nomine, appellatione, vocabulo.**

---

male excerpta est ex iis quae apud Scaurum de adverbiis localibus, ex in ad ab, exposita sunt (p. 29, 3—30, 17), pars (p. 31, 1—6) utrum Scauriana sit necne dici nequit.

12. Serg. expl. in Donat. 486, 9: Scaurus vero hinc coepit: ars . . . suscepta. cf. Servii comm. in Don. p. 405, 2 sq. Diomed. 421, 4. Audacis excerpt. Gr. lat. VII, p. 320, 5; ibid. Keilii adnot.

13. Diomed. 421, 16: Scaurus sic eam definit: littera . . . . resolvitur. cf. Serg. expl. p. 535, 3: 'inter principium et initium hoc interest: principium est prima pars libri, ut (Verg. A. 1, 1) —, initium autem aliqua pars incipiens a multis modis. unde Scaurus 'initium a quo sumitur incrementum': a persona initium, ut (Verg. A. 12, 653) —, a potestate personae, ut (Verg. A. 1, 65) —, ab exclamatione, ut (Verg. A. 4, 590) —, a tempore, ut (Verg. A. 2, 268) —, et (A. 3, 147) —, a loco, ut (Verg. A. 1, 530) —, a similitudine, ut (Verg. A. 1, 430) —, a cohortatione, ut (Verg. A. 9, 36) —, a deprecatione, ut (Verg. A. 10, 524) — et similia.' — cf. et Serg. expl. 487, 15. Mar. Victorin. p. 4, 26. Audacis excerpt. p. 321, 14 ibique Keilii adnot.

14. Diomed. 300, 19: Scaurus sic, oratio . . . . *ἀλλήλοισιν.* cf. Charis. p. 152, 11. Anonym. Gr. lat. I, 533, 2. Dosith. Gr. lat. VII, 389, 8 sq.

15. cf. Anonym. Gr. lat. I, 533, 3: Orationis partes sunt octo, nomen pronomen verbum adverbium participium praepositio coniunctio interiectio; quibusdam videtur et appellatio.

16. cf. Donat. 373, 5: nomen unius hominis, appellatio multorum, vocabulum rerum est. — Anonym. l. l. 533, 9: nomen dicitur, quod . . . . *παρὰ τὸ ὄνομα.*

Digitized by Google

nominis enuntiamus, ut arbor lapis herba toga et his similia. vocabulo accidunt eadem quae appellationi. nomen autem dicitur, quod unamquamque rem monstret ac notet, quasi notamen media syllaba per syncopen subtracta, vel a Graeca origine *παρὰ τὸ ὄνομα.*

De casu septimo.

17. (Quarto modo profertur septimus casus), cum Latinum eloquium in quodam verbo deficit, velut in illo *ὄντος οὔσης, ὄντων οὐσῶν.* dicimus enim sic 'nullo timore hostium castra inrupit', 'nulla spe *per vim* (Anonym. Gr. lat. I, 535, 3; *rerum:* Diomed.) potiundi vallo fossaque moenia circumdat', 'nullis custodibus palladium ereptum est', 'nullis insidiis palam victus est hostis'.

De pronomine.

18. Charis. (= I. Romanus) 136, 15: Meus mei meo meum mi a meo. femininum 'mea' ut 'Helena' declinabitur, inquit Scaurus artis grammaticae libris additque, quia vocativus singularis generis masculini multos dissidentes etiam nunc generat, o mi an o meus facere debeat.

19. Charis. (= I. R.) 133, 1: Im pro eum. nam ita Scaurus in arte grammatica disputavit antiquos im ques hunc eundem significare consuesse et declinari ita: is eius ei eum vel im, numero plurali is, ut est locutus Pacuvius in Medo:

ques sunt is? Ignoti nescio ques.

De verbo.

20. Serg. expl. 552, 31: Plerique docent et conexionem esse in declinatione verborum, quam Donatus siluit vel Scaurus.

De adverbio.

21. Adverbium est modus rei dictionis ipsa pronuntiatione definitus, ut recte diligenter optime. adverbium dicitur ideo, quoniam ad verbi tendit in eadem sententia conspirationem, ut recte dixisti, diligenter fecisti, optime legisti. adverbio haec iuncta sunt discrimina generalia tria, forma modus finitio. forma continet aut simplicem aut compositam; modus continet quantitatem, ut plus minus; finitio continet summam. adverbia aut suae sunt positionis aut ab aliis partibus orationis trahuntur. per se nascuntur, ut nuper. haec quae ab aliis transeunt varias habent formas. a nomine proprio ducuntur, ut Tullius Tulliane; alia a pronomine, ut meatim tuatim; item a verbo, ut cursim; item a nomine et verbo, ut pedetemptim; alia a participio, ut indulgens indulgenter; item a nomine appellativo, ut docilis dociliter; alia a vocabulo, ut

---

17. Diomed. 317, 34: septimus vero casus his praepositionibus quae ablativo casui conveniunt subtractis profertur modis quattuor. primo — secundo — tertio — quarto, ut Scaurus retulit cum Latinum .... hostis. ubique enim deficit Latinus sermo, scilicet ideo, quoniam duo ablativi nominales sunt copulati. quod si unus eorum participialis sit, non deficit Latinus sermo, sed plenus est, ut supra relatum est 'ducente dea elapsus est Aeneas' et cetera quae secundo modo exposuimus, = Dosith. 394, 1 sqq. et Anonym. l. l. 534, 25 sqq. sed apud Anonymum pro Scauro potius Asprus quarti huius modi auctor fertur. et Aspri nomen probat Diomedis immemor Bergkius Beitr. z. lat. Grammatik I, 11.

20. Diomed. 403, 20: Scaurus ita definit: adverbium .... colligantur.

Digitized by Google

ostium ostiatim. verum ne has quidem varietates omnes persequendas putarim, satis est posuisse aliquas, per quas et ceterae colligantur.

22. Serg. expl. 560, 19: Scaurus hoc ordine posuit coniunctiones copulativas: et at atque immo ast ac; disiunctivas sic: aut ve vel nec neque; expletivas Scaurus sic posuit: quidem equidem quoque autem tamen porro; causales: si etsi etiamsi tam tametsi siquidem quando quandoquidem quin quinetiam sinetiam sive seu sin nam namque ni nisi nisisi enim etenim sed praeterea quamobrem praesertim quam quamvis proinde saltim videlicet item itemque ceterum alioquin propterea sane. Scaurus rationales sic posuit: ergo igitur ita itaque enimvero quia qua quapropter quippe quoniam quoniamquidem ideo idcirco scilicet quatenus. figura est in coniunctionibus, qua apparet, utrum simplices sint coniunctiones an compositae: simplices, ut quoniam; compositae, quoniamquidem quandoquidem. ordo est in coniunctionibus, quo apparet quae praeponi tantum possit, ut nam equidem igitur; quae subiungi tantum, ut enim que autem; quae praeponi et subiungi, ut et. quaedam autem coniunctiones, ita ut praepositiones, cum adverbiis confunduntur, quando enim ante post. **De coniunctione.**

23. Serg. expl. 562, 1: Scaurus praepositiones accusativi casus sic posuit: per apud adversus uls ad usque pone supra contra cis citra ultra subtus prope iuxta circum ob ante secundum praeter propter intra circa extra post inter erga clam trans penes, ut per hominem, apud grammaticum, adversus leges, uls provinciam, ad amicum, usque Romam, pone fores, supra regem, contra ius, cis Galliam, citra sedem, ultra familiam, subtus iugum, prope finem, iuxta montem, circum portum, ob iniuriam, ante aedem, secundum mare, praeter spem, propter aquam, intra annum, circa rationem, extra hortum, post annum, inter domos, erga rem publicam, trans fluvium, secus portum, clam uxorem. ablativi casus sunt hae: a ab abs de e ex pro prae cum sine tenus coram palam, ut a solo, ab urbe, de domo, e villa, ex ordine, pro iure, prae virtute, cum socio, sine fine, tenus crure, coram patre, palam filio. in autem et sub et subter utrique pariter casui serviunt, cum in loco significare velimus, ablativo; cum in locum, accusativo, ut 'in foro sum' et 'in forum eo', 'sub tecto sum' et 'sub tectum fugio'. **De praepositione.**

24. Hypozeuxis est figura superiori (i. e. zeugmati) contraria, ubi diversa verba singulis iunguntur. **De schematibus.**

25. Diomed. 449, 26: Macrologia est oratio sine cultu nimium longa. Scaurus ita definit: 'longa descriptione producta sententia', ut est (Verg. A. 12, 113) e. q. s. **De vitiis orationis.**

26. Tropus est modus ornatae orationis et dictio translata a propria significatione ad non propriam decoris aut necessitatis aut cultus aut emphaseos gratia. **De tropis.**

---

24. Diomed. 444, 29: hypozeuxis est, ut Scaurus ait, figura .... iunguntur. cf. infra cap. V.

26. Diomed. 456, 27: Tropus est, ut ait Scaurus, modus ... gratia. cf. Donat. 399, 13 sq. et Charis. 272, 2 sq.

Digitized by Google

Hae sunt reliquiae, quae Scauri nomine adscripto apud posteriores grammaticos nobis servatae sunt. non spernendum accederet auctarium, si comprobari posset, quod suspicatur Keilius Gr. lat. VII, 319 Audacis 'de Scauri et Palladii libris excerpta' magnam partem ex Terentii Scauri arte originem ducere. qua de re ego quidem valde dubito. nam primum quidem quod tribus locis apud Audacem vestigia Scauri doctrinae inveniuntur, p. 320, 5 'Ars quid est? Rei cuiusque scientia ad utilitatem delectationemque tendentis usu vel ratione comprehensa' (cf. frg. 12), p. 321, 14: 'Elementum quid est? Unius cuiusque rei initium, a quo sumitur incrementum et in quod resolvitur' (cf. fr. 13), p. 324, 8: 'Oratio quid est? Sermo contextus . . . . Unde dicta oratio? Quasi oris ratio, cui accidit clausula' (cf. fr. 14): hinc nequaquam sequitur Scaurum fuisse Audacis auctorem. immo vero ultimo loco plane demonstratur Scaurum non fuisse auctorem Audacis. examines enim, quaeso, haec:

Audax p. 324, 8: 'Oratio quid est? Sermo contextus ad clausulam tendens per argumenta narrationis. Unde dicta oratio? Quasi oris ratio cui accidit clausula. Clausula quid est? Compositio verborum plausibili structura ad exitum terminata.' Victorin. Gr. lat. VI p. 192, 2: 'Oratio quid est? Contextus sermo ad clausulam tendens. Unde dicta oratio? Quasi oris ratio. — Clausula quid est? Compositio verborum plausibilis structurae exitu terminata.' Diomed. p. 300, 19 (duabus orationis definitionibus prolatis pergit): 'Scaurus sic: oratio est ore missa et per dictiones ordinata pronuntiatio. oratio autem videtur dicta quasi oris ratio vel a Graeca origine' . . . tum sequitur nulla coniunctione interposita definitio (= Aud. et Vict.) quarta: 'Oratio est sermo contextus ad clausulam tendens. clausula est compositio verborum plausibilis structurae exitu terminata.'

Vides igitur Audacis et Victorini definitiones non tam Scauro quam illi grammatico deberi, cuius definitionem Diomedes quarto posuit loco; Diomedem vero etiam hanc quartam definitionem ex Scauri 'arte' sumpsisse, id quod Keilius l. l. videtur putare, a verisimili prorsus abhorret. adde quod Victorinus et Audax cum Diomede permultis locis, quibus Scaurus non commemoratur, consentiunt, dissentiunt plerumque, ubi Scaurus auctor nominatur.

Quae cum ita sint, nulla est causa, cur Keilii sententia probata consensum, quem inter Diomedem, Audacem, Victorinum invenimus, ad Scauri artem grammaticam, communem quasi fontem, referendum esse putemus. quod vero Audax se Scauri et Palladii libros excerpsisse inscriptione libri testatur, hoc nullius est momenti. nam sicut Keilius Gr. lat. VII, 319 Palladii nomine instituta artium Probi significari probabiliter conicit, Scauri quoque nomine non confidere iam per se aequum est[12]). sed longe ampliora Scauri 'artis' supplementa ex largis copiis artigraphorum eruenda esse et erui posse infra explicabimus.

---

12) adde, quod grammaticorum nomina apud posteriores interdum permutata esse constat, ut Probus nominatur pro Diomede, pro Charisio Cominianus. cf. Steup 'de Probis grammaticis' p. 177 sqq. et Hagen Anecdot. Helvet. p. CLV et CLXII.

Digitized by Google

Cap. II.

Quoniam vidimus Scauri reliquias haud exiguas imprimis apud Diomedem Sergiumque servatas esse, ut duobus his artigraphis artem illius grammaticam praesto fuisse probabile sit[13]), aliis quoque locis ab iisdem grammaticis Scauri doctrinam, nomine auctoris non apposito, exhiberi proclivis est suspicio. quam suspicionem non vanam esse ostendam tractanda ea Diomedis operis parte, qua de metaplasmis schematibusque agitur (p. 440, 27 sqq.).

Sed priusquam ad propositum nostrum accedamus, non supervacaneum est primum paucis explicare, quae ratio intercedat inter Diomedem et Charisium, Donatum, Sacerdotem — qui grammatici in unaquaque fere parte disputatiunculae nostrae adhibendi erunt —, deinde breviter exponere, qua ratione in libris auctorum suorum exscribendis usus sit Diomedes.

Ac primum quidem consensum, quem inter Charisium et Diomedem saepe inveniri constat, non inde ortum esse, quod alter alterius 'arte' usus sit, sed quod uterque ex iisdem fontibus doctrinam suam derivavit, docet Keilius Gr. lat. I, p. XLIX sqq.; neque minus certum, quod idem K. l. l. grammaticos, quos uterque secutus est, Remmium Palaemonem et Cominianum fuisse statuit[14]), etiamsi non omnia, quae Diomedi cum Charisio communia sunt, ideo duobus solis illis grammaticis vindicanda esse credendum est. sed ne in hanc rem accuratius inquiramus, monere liceat apud Charisium compluria exstare, quae quamquam pari modo iisdemque verbis, interdum aliis interpositis, apud Diomedem iterantur[15]), tamen a nullo virorum doctorum, qui Charisii fontibus eruendis operam dederunt[16]), Palaemoni vel Cominiano adscripta sunt. ac ne ego quidem, quamquam Cominiano paulo plura quam Schottmuellerus ei tribuit adiudicanda esse mihi persuasum est, perspicio, quo iure ea omnia duobus illis grammaticis vindicari possint.

---

13) Charisium Scauri libros inspexisse et exscripsisse Christius (Philolog. XVIII, p. 127) propterea mihi non persuasit, quod Charisius ubicunque Scaurum nominat auctorem, secutus est Iulium Romanum.

14) cf. Charis. 225, 5 sqq. et Diomed. 415, 16 sqq.
„ 175,29sq.; 176,7—177,8 et Di. 347, 37—348, 30.
„ 177, 9—178, 4 „ „ 348, 36—349, 23.
„ 178, 5—33 „ „ 350, 14—351, 3.

15) ut Charis. 148, 15—150, 20 cf. Diomed. 303, 31—308, 1.
„ 292, 16 sqq. „ „ 311, 3 sqq.
„ 11, 9 sqq. „ „ 427, 4 sqq. 435, 22 sqq.

16) ut Schottmuellerus 'de C. Plinii Secundi libris gram.' Bonn 1858. Christius in Philolog. XVIII p. 119 sqq. Morawskius 'Quaestionum Charis. specimen' (Herm. XI p. 339 sqq.).

Digitized by Google

Etiam de consensu, qui inter Diomedem et Donatum reperitur, Keilius Gr. lat. IV, p. XL sq., ubi correxit falsam quam l. l. I, p. LVI protulerat sententiam, recte disputavit utrumque ab eodem antiquiore auctore tamquam communi fonte doctrinam suam derivasse.

Neque Sacerdotis artem a Diomede exscriptam esse certo firmari potest argumento. nam ex nobili illo loco, Diomed. p. 318, 7, ubi ad casum septimum illustrandum cum alia exempla proferuntur tum hoc legitur: 'studente sacerdote differentia inventa est . . . . *σπουδάζοντος ἱερέως ἡ διαφορὰ ηὑρέθη*', etiamsi cum Lachmanno (in Lucret. p. 18) de Sacerdote grammatico cogitandum est[17]), Diomedem tamen ipsum huius grammatici artem exscripsisse nequaquam sequitur, immo vero illud '*ἱερέως*' satis docet Diomedi Sacerdotem prorsus ignotum fuisse; neque Keilii sententiae, Diomedem et reliquos grammaticos, cum Sacerdotis nomen in exemplo ponant, se libros eius usurpasse indicare (Gr. lat. VI, 425), adsentiri possum, cum ne apud Dositheum quidem, cuius in arte Sacerdotis nomen ter in exemplum vocatur, ullus exstet locus, quo huius grammatici auctoritas plane evincatur. quidni Sacerdotis nomen ad posteriores artigraphos potuit pervenire per fontem derivatum? quae sententia nunc quidem Keilio quoque videtur probari, qui dicit Gr. lat. VII, 369: 'habuit autem Dositheus eum librum, quem post Sacerdotem grammaticum esse ex nomine eius ter in exemplo posito cognoscitur, in hanc formam redactum' e. q. s.

Quod ad exscribendi rationem, qua Diomedes usus est, pertinet[18]), eum auctorum verba non mutasse sed integra transcripsisse apparet ex iis locis, quibus ad verbum conspirat cum aliis qui iisdem fontibus usi sunt artigraphis, velut:

p. 317, 25—318, 22 cf. Dosith. 392, 10—394, 7[19]) et Anonym. Gr. lat. I, 534, 22—535, 8.

---

17) cf. Dosith. Gr. lat. VII, 392, 10 sqq. et Anonym. Gr. lat. I, 534, 22 sqq., quorum uterque exhibet: 'studente Sacerdote . . . *σπουδάζοντος Σακέρδωτος*'. cf. et Sacerd. Gr. lat. VI, 447, 18: 'Sacerdote docente'. — sententiam vero quam protulit Wentzelius 'Symb. crit. Vratisl.' 1858, p. 37, M. Plotium Sacerdotem revera parentem esse septimi casus, reiciendam esse apparet ex Quintil. I, 4, 26.

18) in universum enim monendum est grammaticos quarti saeculi in componendis 'artibus' plerumque ex compluribus fontibus hausisse, sive ita ut deinceps auctores exscriberent, velut Charisius (p. 147, 17 sqq. 180, 27 sqq.), sive ut complures commentarios contaminarent, id quod in Diomedem cadere mox elucebit. etiam ab Anonymo Gr. lat. I, 533 sqq. diversos compilatos esse auctores demonstratur duplici de gradibus comparationum tractatu (cf. p. 536, 18—537, 14 et 555, 30—557, 2); nam etiamsi Christio (Philolog. XVIII p. 138 sq.) uterque horum locorum ex eodem libro (Cominiani) videtur fluxisse, tamen unusquisque qui hos locos accuratius contulerit, doctrinam alterius ab alterius differre facile intelleget. — apud alios vero artigraphos, velut apud Donatum, plures fontes non ita discerni possunt, sed omnia uno velut tenore exhibentur.

19) de Dositheo et de ratione, quae inter eum et Diomedem intercedit, cf. Keilii praefat. Gr. lat. VII, 367 sqq., ubi docet 'Dositheum neque ex Charisii vel Diomedis libris neque ex Bob. excerptis ea, quae cum his consentiunt, petivisse, sed ea omnia . . . ex antiquiore fonte hausta esse.'

Digitized by Google

p. 392, 1—395, 10 cf. Charis. 226, 11—229, 2 et Dosith. 418, 23—422, 6.
p. 435, 22—436, 8 cf. „ 16, 5—23.
p. 411, 14—415, 11 cf. Dosith. 414, 16—417, 20.
p. 417, 2—418, 32 cf. „ 422, 7—424, 4.

Deinde Diomedem complurium grammaticorum commentarios in unum quasi corpus conflasse neque, ut Charisius, deinceps eos exscripsisse luculentissime patet ex iis quae p. 415, 12—416, 31 de coniunctione disputantur, ubi praeter pauca aliunde adscita praecipue duorum auctorum vestigia perspicua elucent, quos deinceps Charisius exscripsit (p. 224, 24 sqq. et 225, 5 sqq.). quod quomodo se habeat, quo facilius intellegatur, disputationes Diomedis et duorum Charisii auctorum, quorum prior est Cominianus[20]), alter Palaemon[21]), componam.

Palaemon (Charis. 225, 5 sqq.):	Diomedes 415, 12—416, 31:	Cominianus (Char. 224, 24 sqq.):
	Coniunctio est pars orationis indeclinabilis copulans sermonem et coniungens vim et ordinem partium orationis[23]). nam ob hoc meruit nomen, quia pro vinculo interponitur orationi. laxatum enim et diffusum sermonem more catenae interposita devincit.	
Palaemon autem ita definit (coniunctio est pars orationis conectens ordinansque sententiam)[22]). coniunctionum quaedam sunt principales, aliae subsequentes, aliae mediae, quibus utralibet parte positis sine vitio coniungitur oratio. principalis igitur est coniunctio 'sed', velut 'sed	Palaemon eam ita definit: coniunctio est pars orationis conectens ordinansque sententiam. coniunctionum quaedam sunt principales, aliae subsequentes, aliae mediae, quibus utralibet parte positis sine vitio coniungitur oratio. principalis est coniunctio 'sed', ut (Verg. A. 6, 531): 'sed te ...	Coniunctio est pars orationis nectens ordinansque sententiam.

20) cf. Charis. 224, 24: 'De coniunctione, ut ait Cominianus.'

21) cf. Charis. 225, 5: 'Palaemon ita definit'. quod Palaemonis doctrinae nonnulla addita sunt Pliniana, de hac re contra Schottm. verum docuit Morawskius (Herm. XI, 352), sicut et Keil. Gr. lat. V, 334. Christ. Philolog. XVIII, 120 sqq. Brambach Orthogr. p. 29. Birt. in Mus. Rhen. n. s. vol. 34, p. 25; alii.

22) haec definitio a Ch. omissa est, quod paulo ante (224, 24) eandem protulerat auctore Cominiano. cf. et Dionys. Thr. p. 642, 22 et Schoemanni 'Die Lehre v. d. Redeth.' p. 212.

23) cf. Schoemannum l. l. p. 213 et Christ. l. l. p. 129 sq.

Digitized by Google

Palaemon:

te ... vicissim', ut ait Vergilius (A. 6, 531); ille enim ordo ubi postponitur poeticus est per ἀναστροφήν factus, 'ipsa sed in somnis ... (Verg. A. 1, 353), 'sed ipsa'. subsequens est 'que', media est 'etiam'. habent etiam figuras coniunctiones, quia sunt aut simplices aut compositae; simplices, ut nam, compositae, ut namque. cum est igitur de figura et ordine dictum, inspiciamus nunc, quae sint potestates.

et sunt hae copulativae: que et porro quidem quoque atque etiam ac item autem vero. 225, 26: disiungendi sunt hae διαζευκτικοί: ve vel an ne aut neque neu nec neve.

225, 17: causales hae: nam enim quia quoniam eo ideo quod idcirco propter causa gratia ergo. hae enim, ubi causa redditur rerum, coniungere orationem solent, velut ita: 'non dedit, quoniam non habuit'.

ratiocinativae hae συλλογιστικοί:

Diomedes:

vicissim'; nam ille ordo ubi postponitur poeticus est per anastrophen factus, 'ipsa sed in somnis i. u. v. c.' (Verg. A. 1, 353). subsequens est 'que', media est 'etiam'. *coniunctioni accidunt figura ordo potestas. figura est qua apparet, aut simplex sit*, ut nam, *aut composita*, ut namque. *ordo coniunctionum triplici genere servandus est, quo apparet*, utrum praepositiva sit, ut nam, an subiunctiva, *ut que, vel quae praeponi et subiungi possit*, ut itaque namque. *potestas coniunctionum in quinque distributa species dividitur. sunt enim copulativae disiunctivae expletivae causales rationales. copulativae hae: et que ac at ast atque; disiunctivae: aut ve vel nec neque* an ne neu neve; *expletivae: quidem equidem quoque autem tamen porro* profecto deinde saltem nimirum vero; *causales: si, etsi*, etiamsi, si etiam, sitamen, tamen si, *siquidem, quando, quandoquidem, quin, quin etiam, sin*, sin etiam, sin autem, *seu, sive, nam, namque, ni, nisi, nisi si, praeterea*, enim, etenim, sed, quia, quoniam, eo, ideo, idcirco, propter causa, gratia. hae, ubi causa redditur rerum, coniungere orationem solent ita, 'non dedit, quia non habuit'.

ratiocinativae:

sed *quamobrem praesertim*

Cominianus:

coniunctioni accidunt figura ordo potestas. figura est qua appellatur (apparet?) aut simplex, ut quidem, aut composita, ut equidem. ordo est, quo apparet, quae praeponi tantum possit, ut at; quae subiungi tantum possit, ut que; quae praeponi et subiungi, ut etiam.

potestas coniunctionum in quinque species dividitur.

sunt enim copulativae disiunctivae expletivae causales rationales. copulativae: et que at ast ac atque; disiunctivae: aut ve vel ne nec neque;

expletivae: quidem equidem quoque autem tamen porro.

causales αἰτιολογικοί: si etsi tametsi siquidem quando quandoquidem quin, quin etiam, sin seu sive nam namque ne ni nisi nisisi praeterea.

rationales:

quamobrem praesertim

Digitized by Google

Palaemon:

quare quapropter igitur ergo itaque

quando gravi accentu, quatenus quoniam ideoque quoniamquidem quandoquidem siquidem. dictae autem sunt ratiocinativae, quod quamque rem praepositam ratione confirmant in hunc modum. 'lux est, igitur dies est'. nam hic coniunxit rationem, lucem ideo esse, quod sit dies, seu diem ideo esse quod sit lux. 226, 3: inlativae: quamquam quamvis etsi tametsi. finitivae: dum postquam antequam quatenus ut cum, ὅταν ὡς σημαίνει. alii dicunt cum, ut sit quo tempore: per hoc et adverbium esse potest temporis. optativae: utinam ut ne velim; subiunctivae: cum si et quae ab eo compositae sunt, tametsi antequam donec quamvis dummodo licet postquam priusquam dum, cum pro 'donec' accipitur aut pro 'dummodo'. nec te moveat, si quaedam esse adverbia et coniunctiones recognoveris.

Diomedes:

item itemque sine ceterum alioquin atquin *enim etenim eninvero quia quapropter* praeter *quippe quoniam quoniamquidem ergo* igitur *ideo* ideoque *scilicet propterea* quare quocirca quippe utpote sane videlicet itaque quamvis licet quamquam, quando gravi accentu, quatenus quandoquidem siquidem. dictae sunt ratiocinativae, quod quamque rem praepositam ratione confirmant in hunc modum: 'lucet, igitur dies est'. nam hic ratione colligit lucem ideo esse, quod dies est, seu diem ideo esse, quod lux est. sunt item praeterea, ut ait Plinius, inlativae hae: quamquam quamvis etsi tametsi; item finitivae dicuntur hae: dum postquam antequam quatenus.

item optativae: utinam ut ne velim. subiunctivae: cum si et quae ab eo composita sunt, tametsi antequam donec quamvis dummodo licet postquam priusquam dum, cum pro 'donec' accipitur aut pro 'dummodo'. nec te moveat si quaedam esse et adverbia et coniunctiones recognoveris. sunt etiam dictiones, quas incertum est utrum coniunctiones an praepositiones an adverbia nominemus, quae tamen omnes sensu

Cominianus:

item itemque enim etenim enimvero quia quapropropter quippe quoniam quoniamquidem ergo ideo scilicet propterea.

(cf. Donat. p. 389, 13:

'Sunt etiam dictiones, quas incertum est utrum coniunctiones an praepositiones an adverbia nominemus, quae tamen omnes sensu

Digitized by Google

Palaemon:	Diomedes:	Cominianus:
	facile dinoscuntur. nam et coniunctiones pro aliis coniunctionibus positae inveniuntur potestate mutata.	facile dinoscuntur. nam et coniunctiones pro aliis coniunctionibus positae inveniuntur potestate mutata'.)
225, 29: relativae ad aliquid, ut Plinius ait, sive comparativae hae: magis potius immo, in hunc modum: 'hic eat, immo ille vel potius ille'. idem ait Plinius potestatem habere comparandi tam quam; sed haec adverbia videntur magis similitudinis, ut 'tam quam bonus amicus' et 'tam ille quam hic'. sane et habet comparandi potestatem quam, ubi dicitur 'antequam' et 'melius quam'. —	sunt aliae ad aliquid relativae, ut ait idem Plinius, sive comparativae: magis potius immo, in hunc modum: 'hic eat, immo ille vel potius ille'. idem ait comparandi potestatem habere tam quam. sed haec videntur adverbia magis similitudinis, ut 'tam quam bonus amicus' et 'tam ille quam hic'. —	

Demonstratum est quod demonstrandum erat, Diomedem duorum auctorum (Palaemonis et Cominiani) doctrinam contaminasse; praeterea tertii cuiusdam auctoris vestigia apparent praecipue in initio et sub finem, ubi ad verbum consentit cum Donato. pari modo res se habet apud Diomedem p. 303, 30—308, 5, ubi imprimis eum grammaticum, cui Charisius debet omnia quae p. 148, 15—150, 20 de ablativo casu singulari explicat, auctorem secutus est; id quod elucebit collatis his locis:

Diomedes	303, 31—32	et	Charis.	148, 15—17.
„	303, 37—304, 1	„	„	148, 18—19.
„	304, 16—25	„	„	148, 19—26.
„	304, 27—34	„	„	148, 27—33.
„	305, 9—22	„	„	148, 34—149, 9.
„	305, 25—306, 4	„	„	149, 13—25.
„	307, 7—17	„	„	149, 26—150, 5.
„	307, 24—308, 1	„	„	150, 9—20.

ac ne quis forte putet Diomedem totum illud caput uni debere auctori, cuius disputatio apud Charisium fortasse non integra servata sit, monendum est Charisii Diomedisque auctorem communem certam disserendi formam adhibuisse singulaque verba fere semper ad unum eundemque ordinem protulisse, id quod iis demonstratur, quae apud Charisium et Diomedem ad verbum consentiunt, ut Diomed. 305, 25 sqq. = Charis. 149, 13 sqq., et Diomed. 307, 24 sqq. = Charis. 150, 9 sqq. incipit enim secundum utrumque in utroquo loco his verbis: 'Nomina quae ablativo

Digitized by Google

casu numero singulari i (u) littera finiuntur genere masculino et feminino' (vel: 'masc. et fem. genere'); deinde quam brevissime[24]) explicatur, quomodo ex ablativo singulari oriantur nominativus accusativus vocativus, genetivus, dativus et ablativus pluralis. et si nunc quaerimus, uter communem fontem nobis repraesentet integriorem, integrior exstat apud Charisium. quae sententia evincitur uno argumento. in illis enim, quae Diomedes cum Charisio l. l. communia habet, nullum aliud verbum terminandi occurrit nisi 'finiri'[25]), ut hoc verbum communis auctoris proprium fuisse necesse sit. atque cum Diomedes in iis, quae Charisius l. l. non praebet, semel modo verbum 'finiendi' adhibuerit (306, 15), saepe vero usus sit verbo 'terminandi' (303, 33; 37. 304, 7. 306, 10; 18; 29. 307, 1; 5) vel 'exeundi' (306, 5; 7; 14; 17; 20. 307, 5) vel 'mittendi' vel 'efferendi', vel hac una differentia alter fons indicatur. accedit quod ea, quae apud Charisium l. l. non exstant, aliunde sumpta esse etiam inde apparet, quod haec partim apud Donatum, partim apud Charisium aliis locis inveniuntur;

cf. Diomed.	303, 32—37	cum	Donat.	378, 3—6.
„	304, 1—16	„	Charis.	20, 7—21, 1 (= Anonym. Gr. lat. I, 538, 8—18)
„	304, 34—305, 8	„	„	31, 12—21 (= An. 547, 19—26).
„	305, 22—24	„	Donat.	378, 12—14.
„	306, 5—27	„	„	378, 22—30.
„	306, 27—307, 6	„	Charis.	47, 3—13 (= An. 545, 9—22).
„	307, 18—23	„	Donat.	378, 33—379, 4.
„	308, 1—5	„	„	379, 7—9[26]).

Quibus collatis Diomedem, quoniam modo cum Donato modo cum Charisio (et Anonymo Bob.) conspirat, ne haec quidem ex uno fonte, sed ex duobus hausisse est perspicuum. ergo per totum caput 'de ablativo singulari' secutus est tres auctores, quorum doctrinam in unum corpus contaminavit.

Satis, puto, Diomedis rationem compilandi illustravimus[27]). iam transeamus ad eam Diomedis artis grammaticae partem, quam supra (p. 9) indicavimus.

---

24) plerumque ablativo absoluto adhibito vel secunda persona numeri singularis, ut: sublata i ... apposita es ... faciunt; adiecta a ... fiet; facies ... si adicias.

25) semel apud Diom. (305, 9) 'fuerint terminata'; sed cf. seq. adnot. et Donat. 378, 5; 11; 15; 18; 31.

26) animadvertendum est, quod neque apud Charisium neque apud Donatum, sicut apud Diomedem, non tam verbum 'finiendi' quam verba 'terminandi', 'mittendi', 'exeundi', 'efferendi' reperiuntur.

27) cui vero exempla prolata non sufficiunt, alia possunt offerri, velut Diomed. 310, 30 sqq. coll. Charis. 291 sqq.

Digitized by Google

Cap. III.

Diomedis caput 'de metaplasmis' (p. 440, 27 sqq.) ex diversis libris conflatum esse statim patet, si examinaveris definitiones hasce:

Metaplasmus est transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem metri aut decoris causa figurata[28]) (440, 28 sq.).

Prosthesis est adpositio quaedam ad principium dictionis (440, 33 sq.).

Aphaeresis est ablatio de principio dictionis contraria prosthesi, [cum aut littera amputatur aut syllaba aufertur] (441, 22 sq.).

Syncope est ablatio de media dictione contraria epenthesi (441, 27).

Apocope est ablatio de fine dictionis prosparalepsi vel paragoge contraria, [cum aut littera detrahitur aut syllaba] (441, 31).

Systole est correptio contraria ectasi. [fit autem cum longa syllaba contra rationem corripitur aliqua necessitate cogente] (442, 5).

Diaeresis est discissio syllabae unius in duas divisae (442, 11).

Episynaliphe est conglutinatio seu contractio duarum syllabarum in unam syllabam facta contraria synaliphe (l.: diaeresi) (442, 20).

Ecthlipsis est conlisio quaedam difficilis ac dura consonantium cum vocalibus aspere concurrentium (442, 25).

Omnes has definitiones ad unam eandemque formam factas esse non negabis; nam quae uncis inclusi, ea aliunde addita esse infra apparebit; quae si omiseris, ubique eandem observabis normam definiendi.

Iam vide mihi definitiones hasce ad prorsus diversam formam prolatas:

Epenthesis est [adpositio][29]), cum inter primam et ultimam syllabam aut littera adicitur aut syllaba (441, 5).

---

28) nomen metaplasmi, in hac significatione usurpatum, primum mihi occurrit apud Quintilianum I, 8, 14: 'Metaplasmos enim et schematismos et schemata, ut dixi, vocamus et laudem virtutis necessitati damus'. sed iam Verrio Flacco hanc significationem notam fuisse elucet ex his: 'Metaplasticos dicitur apud poetas usurpari id, quod propter necessitatem metri mutare consueverunt, quod item barbarismus dicitur in soluta oratione conscribenda'. Fest. p. 153; quem locum mihi indicavit Kiesslingius. — apud grammaticos rhetoresque graecos metaplasmi πάθη vel σχήματα vel σχηματισμοί nominantur.

29) non exstat apud Charis. cf. infra ubi Diomedis, Donati, Charisii al. explicationes composuimus.

Digitized by Google

Prosparalepsis est, cum aliquid ad novissimam partem dictionis accedit (441, 11).

Paragoge est, cum ad ultimam simplicis dictionis clausulam aut littera adiungitur aut syllaba (441, 17).

Ectasis est [extensio, quae fit][30]), cum correpta syllaba contra rationem per licentiam producitur (442, 1).

Protheseon parallage est, cum alia quam quae debet praepositio ponitur (443, 1).

Duplicem hanc definitionum formam ad duos auctores, quos contaminavit Diomedes, referendam esse facile concedes, si praeterea attenderis, quod in aphaereseos explicatione disertis verbis priori definitioni 'Aphaeresis est aeque generalis metaplasmus, qui fit per detractionem, sed specialiter observatur' altera sic adnectitur: 'Item de aphaeresi. Aphaeresis est ablatio' e. q. s. quid enim sibi volunt verba 'Item de aphaeresi', nisi indicant fontem alterum? nam si illa omnia ex uno hausta essent fonte, verba 'sed specialiter observatur' statim exciperet definitio 'specialis' (cf. infra p. 22 s. t. de prosthesi).

Iam duo hi auctores separati neque contaminati nobis praesto sunt, alter apud Donatum, apud Charisium alter (cf. infra). quamquam enim singulorum metaplasmorum nomina[31]) et ordo[32]) atque nonnulla exempla omnibus communia[33]) nos ad unum relegant auctorem, a quo tota haec doctrina principio profecta est[34]), nemo tamen, qui Charisii Donatique definitiones

---

30) non exstant apud Charis. cf. infra.

31) quatuordecim metaplasmi species eaedem proferuntur apud Charisium et apud Donatum, neque ulla est diversitas, nisi quod duae species, quae 'epenthesis' et 'paragoge' apud D. nominantur, apud Ch. vocantur 'parenthesis' et 'prosparalepsis'. Diomedes vero a Donato eo differt, quod inter epenthesin et paragogen posuit prosparalepsin.

32) apud Donatum et Charisium idem observatur ordo: primum exhibentur tres metaplasmi, qui fiunt adiectione litterae vel syllabae, deinde contrarii tres, qui fiunt detractione, tum sequuntur bini sibi contrarii, ectasis et systole, diaeresis et episynaliphe, synaliphe et ecthlipsis, antithesis et metathesis. quod autem Diomedes certum hunc ordinem semel turbavit (posuit synaliphen ante episynaliphen), sine dubio eius ipsius debetur neglegentiae, sicut et in fine protheseon parallagen addidit. cf. p. 18 et 26.

33) quinque exempla ex Vergilii Aeneide petita; cf. s. t. de aphaeresi (Aen. 6, 620), de episynal. (A. 6, 803), de synaliphe (A. 9, 1), de ecthlipsi (A. 1, 3), de metathesi (A. 10, 394).

34) fontem primarium graecum fuisse elucet ex terminis graecis. quibus vero temporibus ille auctor scripserit definitur, quod apud Dionysium Thracem et, qui huius arte grammatica usus est, Varronem de grammaticis figuris nihil reperitur, Verrio Flacco autem haec doctrina nota fuit (cf. supra adnot. 28). et grammaticum illum graecum, qui 'arti' doctrinam de figuris adnexuit, Tryphonem fuisse conicit Kiesslingius. — sed non solum fons primarius facile cognoscitur, sed etiam summo consensu exemplorum latinorum (Vergil.) indicatur latinus grammaticus, qui doctrinam grammatici illius graeci in linguam latinam transtulit, cuiusque libro technographi latini usi sunt. quis vero alius ille grammaticus latinus fuisse potest nisi qui primus ad exemplar 'artis' Dionysii Thr. artem grammaticam

Digitized by Google

collatas examinaverit, hos grammaticos ex eodem fonte hausisse contendere potest. sed Charisium eo libro usum esse, ex quo Diomedes eas definitiones sumpsit, quibus praecipue illud 'est cum' proprium est, Donatum vero ex altero Diomedis fonte doctrinam suam derivasse ex tabula nostra satis superque perspicitur (cf. p. 22 sq.). atque quomodo Diomedes auctorum suorum doctrinam conflaverit, statim ex ipsius metaplasmi definitione ex Donati auctore sumpta elucet; cui verba 'aut decoris causa figurata' ex Charisii auctore inserta sunt[35]). similiter in explicanda aphaeresi alteri definitioni, a Donati auctore derivatae, adduntur verba 'cum aut littera amputatur aut syllaba aufertur', sine dubio ex Charisii fonte hausta, sicut factum est in definienda apocope, ubi simili modo definitionem, quae Donati auctori debetur, excipiunt verba 'cum aut littera detrahitur aut syllaba', quae exstant etiam apud Charisium. quod autem illa 'cum aut littera amputatur aut syllaba aufertur' apud Ch. non inveniuntur, nequaquam sequitur ea in communi fonte Charisii et Diomedis non exstitisse, sed apud Ch. sunt omissa. cum enim apud eum legamus: 'Aphaeresis est aeque generalis metaplasmus qui fit per detractionem, sed specialiter sic observatur: prima parte dictionis, ut 'temnere divos' pro 'contemnere', unusquisque intellegit verba 'prima parte dictionis' non integram continere definitionem sed mutilatam. si vero Diomedis verbis cum his coniunctis scribimus: 'specialiter sic observatur: (aphaeresis est) ⟨cum⟩ prima parte dictionis ⟨aut littera amputatur aut syllaba aufertur⟩', omnia bene quadrant, neque dubito, quin haec in communi fonte ita prolata fuerint.

Duorum auctorum definitiones a Diomede coniunctae sunt etiam s. tit. de epenthesi, de ectasi, de systole, de synaliphe, ubi in verbis 'Synaliphe est conlisio ... concurrentium vocalium ...; haec a quibusdam syncrisis nominatur' apparent vestigia Donati auctoris; ex altero fonte his inserta sunt haec: 'quae fit cum duarum ... altera eliditur ... hic enim unum e praecedens excludi necesse est'. nonnullas vero definitiones, ut syncopes, diaereseos, ecthlipseos, episynaliphes, totas debet Diomedes auctori Donati[36]), cum definitionem prosparalepseos et antitheseos integram transtulerit ex fonte Charisii.

Sed praeter duos hos auctores tertium in supplemento adhibuit, cui debet quae ultimo loco addit de protheseon parallage, quae non solum neque apud Ch. neque apud Donatum commemoratur[37]), sed etiam prorsus abhorret a ratione et ordine, ad quem singulae metaplasmi species in fonte primario prolatae erant (cf. supra p. 17). in hac autem figura fere ad verbum

---

latinam videtur scripsisse, Remmius Palaemon? in quem bene quadrat, quod exempla plerumque ex Vergilii libris petita sunt, cum hunc poetam ab illo plurimi existimatum esse inde patet, quod ab eo 'poeta' κατ' ἐξοχήν nominatur. cf. Schoell in Mus. Rhen. v. 34, p. 630 sqq.

35) inspicias, quaeso, tabulam p. 22.

36) nisi quod in diaereseos definitione forma 'divisae' potius ex dividitur (Charis.) quam ex 'facta' (Donat.) videtur orta esse.

37) Donatus autem de eadem re agit in tractando soloecismo p. 393, 22.

Digitized by Google

cum Diomede consentit M. Plotius Sacerdos, de quo paulo post plura disseremus. praeterea ad tertium auctorem ea videntur referenda esse, quae de paragoge exposuit. nam cum paragoge idem sit metaplasmus ac prosparalepsis, Diomedes vero de his separatim, primum de prosparalepsi, deinde de paragoge, quasi sint diversi, disputet, unius metaplasmi duplicem ex duobus fontibus diversis iteratam definitionem agnoscimus. quoniam autem prosparalepseos definitio fluxit e Charisii fonte et definitio paragoges cum Donato quoque non consentit[38]), haec tertio vindicanda est auctori (nisi interpolatori. cf. Keilii adnot. crit. ad Diomed. p. 440, 30). — Definitiones igitur singulorum metaplasmorum a Diomede alias integras ex Charisii auctore transcriptas esse, alias auctori deberi Donati, plures ex utriusque definitionibus compositas vel contaminatas, duas denique ex tertio quodam auctore sumptas esse vidimus. iam exempla, quae singulis definitionibus subiuncta hucusque negleximus, examinemus.

Atque exempla quoque a Diomede allata, sicut definitiones, partim apud Charisium[39]), partim apud Donatum[40]) redeunt, alia cum utroque sunt communia (cf. adn. 33), reliqua apud neutrum inveniuntur[41]). quoniam igitur haud pauca exempla Diomedi communia sunt aut cum Ch. aut cum Donato, firmatur sententia eum horum grammaticorum fontibus usum esse separatis. et pari modo sex illis exemplis, quae apud Ch. et D. frustra quaeres, suspicio Diomedem etiam ex tertio quodam libro hausisse non infirmatur. quod denique quinque et apud Ch. et apud Don. iterantur, hoc te non habebit mirum, si memineris id quod supra p. 17 de primario fonte communi diximus.

Sed praeter Charisium Donatumque alii quoque metaplasmorum recensum dederunt, velut Consentius Gr. lat. V, 387 sqq., Anonymus, cuius 'de ultimis syllabis' liber una cum Probi catholicis editus est Gr. lat. IV, 129—264[42]), Sacerdos Gr. lat. VI, 451 sqq., de quibus pauca

---

38) cum Donato nihil aliud est commune nisi nomen 'paragoge' et exemplum 'potestur pro potest', quod Diomedes fortasse ex Donati auctore addidit.

39) cf. s. t. de prosth. Verg. A. 11, 178; incert. trag. v. 25 Ribb.
„ „ epenth. „ „ 3, 409; 8, 630.
„ „ prosparal. „ „ 9, 231. de syncope Verg. A. 4, 682.
„ „ apocope „ „ 10, 481; Enn. an. 563.
„ „ systole „ „ 6, 773. de diaeresi Verg. A. 9, 26.
„ „ antith. Ovid. met. 3, 79.

40) cf. s. t. de parag.: 'potestur'. de systole: Verg. A. 4, 52.
de antith.: 'olli pro illi'.

41) ut s. t. de prosparal. Verg. A. 4, 493. de paragoge Plaut. Curc. I, 1, 1. de aphaer. Verg. A. 12, 454; 10, 481. de diaeresi Verg. A. 3, 354. de prothes. parall. Verg. A. 6, 502.

42) cf. Keil. l. l. p. XXXI: 'Restat liber de ultimis syllabis scriptus; quem librum olim Probo tributum et cum catholicis coniunctum esse non auctoritate libri manuscripti, sed coniectura Parrhasii supra (p. X) dictum est .... quare librum, de cuius auctore nihil omnino constat, quoniam a prio-

Digitized by Google

sunt addenda. Atque Consentius quidem in singulis metaplasmis definiendis et illustrandis modo cum Charisio, modo cum Donato conspirat, ut in definienda syncope et diaeresi facit cum Charisio, cum Donato in definienda epenthesi, paragoge, episynaliphe. deinde exempla maximam partem, quatuordecim, eadem ac Donatus protulit[43]), sex cum Charisio[44]), alia cum utroque communia habet[45]). quamobrem cum Charisii tum Donati auctorem videtur secutus esse. nam Donatum ipsum, quocum in aliis quoque rebus explicandis saepe ita consentit, ut 'aut ipsum Donatum aut antiquiorem auctorem ab illo expressum ei ante oculos fuisse necesse sit' (Keil. Gr. lat. V, 335), mea quidem sententia exscribere non potuit, quod unicuique, qui exempla ab utroque ad illustrandam prothesin, epenthesin, aphaeresin prolata contulerit, multo potius Donatus Consentium quam hic illum videbitur secutus esse. atque similiter in aliis quoque rebus tractandis explicationes Consentii sunt ampliores quam Donati, velut p. 386, 21: 'barbaros autem lexis uno modo tantum intellegitur, cum ex aliena lingua in nostrum usum aliqua pars orationis inducitur, ut cum dicimus, *cateias utique hastas Gallorum, mastrucam vestimentum Sardorum* (cf. Quintil. 1, 5, 8), *magalia Afrorum casas, acinaces gladios Medorum*', quibus cum cf. Donat. 392, 6: 'in peregrina barbarolexis dicitur, ut si quis dicat *mastruga, cateia, magalia*'[46]). sed cum Consentius cum iis quoque, qui commentarios in Donatum scripserunt, complura communia habeat, ut monet Keilius, Consentium fortasse ex doctiore aliquo in Donatum commento hausisse facile est suspicatu. at si hoc verum esset, accuratius consentiret Consentius cum Donati commentatoribus, velut cum Pompeio (Gr. lat. V p. 95—312). e contrario vero non solum desideratur accurata consensio, sed etiam prorsus interdum dissentiunt, ut Pomp. 284, 23: 'cateia *telum* dicimus lingua *Persarum*' et Consent. 386, 23: 'cateias utique *hastas Gallorum*'.

Quae vero Consentius communia habet cum Charisio, talem prae se ferunt convenientiam,

---

ribus editoribus cum Probi libris coniunctum erat, nunc quoque cum his edendum, sed a reliquis seiungendum putavi.'

43) cf. s. t. de prosth. Verg. A. 3, 12; incert. auct. de epenth. Verg. A. 1, 30. de parag. 'magis', 'potestur'. de aphaer. Terent. Adelph. II, 1, 31. de syncop. 'audacter'; Terent. Phorm. 1, 2, 51. de apocop. 'Achilli'. de ectasi Verg. A. 1, 2. de systole Verg. A. 4, 52. de episynal. 'Phaethon pro Phaëthon'. de antith. 'olli pro illi'. de metath. Verg. A. 11, 55.

44) cf. s. t. de epenth. Verg. A. 8, 630. de parag. Verg. A. 9, 231. de apocop. Enn. ann. 563; Verg. A. 10, 481. de ectasi Verg. A. 1, 499. de diaeresi Verg. A. 9, 26.

45) cf. s. t. de epenth. 'induperator' (Enn.). de aphaer. Verg. A. 6, 620. de synaliphe A. 9, 1. de ecthlipsi A. 1, 3. de metathesi A. 10, 394.

46) cf. etiam Donat. p. 373, 27: feminina autem aut in is exeunt, ut Atreis, aut in as, ut Peleias, aut in ne ut Nerine, et Consent. 341, 14: feminina vero aut in is exeunt, ut ab Atreo Atreis, aut in as, ut a Peleo Peleias, aut in ne, Euandrine, Nerine et Adrestine, et Dionys. Thr. p. 634, 32: *θηλυκῶν δὲ ὁμοίως τύποι εἰσὶ τρεῖς, ὁ εἰς ις, οἷον Πριαμίς, ὁ εἰς ας, οἷον Πελιάς, καὶ ὁ εἰς νη, οἷον Ἀδρηστίνη.*

Digitized by Google

ut Consentius illius 'arte' usus esse possit. attamen cum Charisius auctores suos plerumque ad verbum exscripserit, et Consentium antiquiores libros inspexisse inde pateat, quod haud pauca praebet, quae apud alios non reperiuntur[47]), praeferenda mihi videtur Keilii sententia, Consentium ex Charisii auctoribus, non ex hoc ipso hausisse (cf. Gr. lat. V, 336).

Anonymum ex Charisii fonte hausisse non solum tredecim exemplis, quae ei cum Charisio communia sunt[48]), sed etiam alio demonstratur consensu, quod uterque 'parenthesin' et 'prosparalepsin' appellat, quae apud Donatum, Consentium, Sacerdotem 'epenthesis' et 'paragoge' nominantur; atque episynaliphe, antithesis, metathesis ab utroque definiuntur iisdem verbis. Anonymum vero ne forte Diomedis libros exscripsisse putes, monendum est, quod nihil exhibet ex iis, quae Diomedes auctori Charisii addidit. quod enim ex tribus exemplis Vergilianis[49]), quorum unum commune habet Anonymus cum Diomede et Donato, duo apud Diomedem solum redeunt, hunc ab Anonymo adhibitum esse nequaquam efficitur; immo vero a Charisio possunt esse omissa. ipsum autem Charisium Anonymo non praesto fuisse ex nonnullis apparet differentiis huiusmodi: 'et non temnere divos' (Prob. s. t. de aphaer.) et 'temnere divos' (Char.); 'ut Vergilius: aspice' cet. (Prob. s. t. de apocope) et 'ut aspice' (Char.); 'hoc est suam domum' (Prob. l. l.) et 'hoc est domum' (Char.); 'ectasis est, cum per licentiam brevis producitur' (Prob.) et 'ectasis est, cum correpta syllaba contra rationem producitur' (Char.), cf. Diomed.: 'ectasis . . ., cum correpta syllaba contra rationem per licentiam producitur'.

Sacerdos denique cum Donato nullo modo ita consentit, ut auctorem eius secutus esse possit, cum praeter nomina singulorum metaplasmorum graeca nihil praebeant communiter nisi tria exempla haec: 'relliquias' s. t. de epenth., 'olli pro illi' s. t. de antith., Verg. A. 6, 803 s. t. de episynal., quorum ultimum etiam apud Charisium (Prob., Diomed.) recurrit. cum Charisio Sacerdoti convenit etiam de definiendo metaplasmo, systole, antithesi; sicut fere ubique eadem definiendi forma ('est cum') usus est atque ille. licet igitur Sacerdos Charisii auctori nonnulla debeat, tamquam ducem tamen eum non secutus est, cum non solum plerumque alia protulerit exempla, sed etiam singulas metaplasmorum species ad ordinem recensuerit a Charisii diversum; posuit enim et systolen ante ectasin et, quae apud Charisium (Donatumque) ultimum tenent

---

47) dico non tam exempla, quibus singulos illustrat metaplasmos, quam eos locos, ubi disertis verbis tradidit antiquorum grammaticorum reliquias, quae alibi non servatae sunt, velut p. 375, 8 (Palaemon), 375, 1, 390, 6 (Arr. Celsus), 378, 23 (Pansa), 402, 14 (Asper). atque de consensu, qui intercedit inter Consentium et Quintilianum, cf. Birt in Mus. Rhen. n. s. v. 34, 21 sqq.

48) cf. s. t. de epenth. Verg. A. 3, 409; 8, 630. de aphaer. Verg. A. 6, 620. de syncope A. 4, 682. de apocope A. 10, 481; Enn. ann. 563. de ectasi A. 1, 199. de diaeresi A. 9, 26. de episynal. A. 6, 803. de synal. A. 9, 1. de ecthlip. A. 1, 3. de antith. Ovid. Met. 3, 79. de metath. Verg. A. 10, 394.

49) s. t. de systole Verg. A. 4, 52. de prosparal. A. 4, 493. de diaeresi A. 3, 354.

Digitized by Google

locum, antithesin metathesinque statim post apocopen. contra cum tertio auctore Diomedis cognationis quodam vinculo coniunctum esse Sacerdotem non negabis, si animadverteris utrumque protheseon parallagen non modo in numerum metaplasmorum recepisse, sed etiam iisdem verbis explicasse. a Diomede vero non Sacerdotem ipsum usurpatum esse iam supra p. 10 sq. exposuimus.

Consentius Gr. lat. V, 387 sqq.	Donatus Gr. lat. IV, 395, 27 sqq.	Diomedes p. 440, 27 sqq.
	De metaplasmo.	De metaplasmis.
	Metaplasmus est transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem metri ornatusve causa. huius species sunt quattuordecim: prothesis epenthesis paragoge aphaeresis syncope apocope ectasis systole diaeresis episynaliphe synaliphe ecthlipsis antithesis metathesis.	Metaplasmus est transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem metri *aut decoris causa figurata*. huius species sunt hae: prosthesis epenthesis *prosparalepsis* paragoge aphaeresis syncope apocope ectasis systole diaeresis synaliphe episynaliphe ecthlipsis antithesis metathesis (*protheseon parallage*).
		De prosthesi. Prosthesis est quidam generalis metaplasmus, qui fit per adiectionem. sed specialiter sic dividitur: prosthesis est adpositio quaedam ad principium dictionis, litterae, *ut 'Turnum gnatoque p. q.'* (*Verg. A.* 11, 178) *pro nato; syllabae ut 'concitum tetuli gradum'* (*trag. lat. inc. inc.* 25) *pro tuli.*
Prothesis est litterae, ubi ad caput una littera additur, ut 'cum sociis gnatoque p.' (Verg. A. 3, 12), dixit enim 'gnato' cum dicere debuit 'nato' . . . item prothesis est syllabae: 'tetulit senilis h. a. c. m.', dixit enim 'tetulit' pro eo quod est 'tulit'.	Prothesis est appositio quaedam ad principium dictionis, litterae aut syllabae, ut 'gnato' pro 'nato', 'tetulit' pro 'tulit'.	
Epenthesis est adiectio litterae syllabaeve ad mediam dictionem: litterae, ut 'relliquias D.' (Verg. A. 1, 30) pro reliquias; syllabae, ut Ennius dicit plerumque induperatorem pro imperatore; et ut est *'Mavortis i. a.'* (*Verg. A.* 8, 630) *pro Martis; et* (*Verg. A.* 2, 25).	Epenthesis est appositio ad mediam dictionem litterae aut syllabae, ut 'relliquias' pro 'reliquias', 'induperator' pro 'imperator'. hanc alii epenthesin, alii parenthesin dicunt.	*De epenthesi.* Epenthesis est adpositio, *cum inter primam et ultimam syllabam aut littera adicitur aut syllaba: littera, ut 'hac casti m. i. relligione n.'* (*Verg. A.* 3, 409) *pro religione; syllaba, ut 'Mavortis i. a.'* (*A.* 8, 630) *pro Martis.* hunc metaplasmum quidam pleonasmon appellant.

Digitized by Google

Iam quaerendum est, qui tres illi Diomedis auctores fuerint. sed haec quaestio multo diiudicanda erit facilius, ubi primum in Diomedis caput sequens (de schematibus) inquisiverimus, ad quod statim, interposita 'de metaplasmis' tabula, transeamus.

Charisius p. 277, 24 sqq.	Anonym. 'de ult. syll.' Gr. lat. IV, 262 sqq.	Sacerdos Gr. lat. VI, 451, 24 sqq.
De metaplasmo.	De metaplasmis.	De metaplasmis vel figuris.
Metaplasmus est dictio aliter quam debuit figurata metri aut decoris causa.		*Metaplasmus* vel figura *est dictio aliter composita quam debet metri vel decoris causa.* huius species sunt plurimae, sed maxime necessariae hae: prothesis epenthesis paragoge aphaeresis, quae et encope vocatur, syncope apocope antithesis metathesis systole ectasis diaeresis episynaliphe ⟨synaliphe⟩ ecthlipsis, *protheseon parallage.*
huius species sunt XIIII hae: prothesis *parenthesis prosparalepsis* aphaeresis syncope apocope ectasis systole diaeresis episynaliphe ⟨synaliphe⟩ ecthlipsis antithesis metathesis.		
Prosthesis est quidam generalis metaplasmus, qui fit per adiectionem. sed specialiter sic dividitur: prothesis est cum primae parti dictionis aut littera adicitur aut syllaba: littera, *ut 'Turnum gnatoque p. q.'* (*Verg. A.* 11, 178) *pro nato; syllaba, ut 'concitum tetuli gradum'* (*trag. lat. inc. inc.* 25) *pro tuli.*	Prosthesis est metaplasmus verbi principio adiciens litteram syllabamve: litteram, ut 'gnatique p. q.' (Verg. A. 6, 116);... aliquando syllabam adicit non tam sensus causa quam metri, ut .. (Verg. A. 7, 513. 10, 766. Terent. Andr. IV, 5, 13).	*De prothesi.* Prothesis *est cum* in prima parte dictionis aut littera plus est aut syllaba: littera, ut . . . (Verg. A. 6, 116); syllaba, ut . . . (Terent. Andr. IV, 5, 13).
Parenthesis est cum inter primam et ultimam syllabam aut littera adicitur aut syllaba: littera, ut 'hac c. m. i. relligione n.' (*Verg. A.* 3, 409) *pro religione; syllaba, ut 'Mavortis i. a.'* (*A.* 8, 630) *pro Martis;* et 'induperator' pro imperator'.	*Parenthesis est quando* inseritur medietati syllaba litterave: *littera, ut 'hac c. m. i. rel. n.'* (*Verg. A.* 3, 409); syllaba ut Lucretius (1, 82) . .; interdum diducta syllaba inmissae litterae *syllabam adiciunt, ut 'Mavortis i. a'* (Verg. A. 8, 630) et . . . (Verg. G. 1, 137).	*De epenthesi.* Epenthesis *est cum* in medio verbo aut littera additur, ut 'relliquias', aut *syllaba, ut 'Mavors'.*

Digitized by Google

Consentius.	Donatus.	Diomedes.
		De prosparalepsi. Prosparalepsis est cum aliquid ad novissimam partem dictionis accedit, ut 'admittier orant' (*Verg. A.* 9, 231) *pro admitti,* et 'm. i. accingier a' (A. 4, 493) pro accingi.
Paragoge est, quae eadem (pros)paralempsis dicitur, adiectio litterae syllabaeve ad finem dictionis: litterae, ut 'magis' pro 'mage'; syllabae, ut *'admittier or.'* (*Verg. A.* 9, 231) *pro admitti,* et 'potestur' pro 'potest'.	Paragoge est appositio ad finem dictionis litterae aut syllabae, ut 'magis' pro 'mage' et 'potestur' pro 'potest'. hanc alii prosparalepsin appellant.	*De paragoge.* Paragoge est cum ad ultimam simplicis dictionis clausulam aut littera adiungitur aut syllaba: littera, ut apud Plautum (Curc. 1, 1, 1) 'quo ted h. n.' pro te; syllaba, ut 'potestur' pro 'potest'.
		De aphaeresi. Aphaeresis est aeque generalis metaplasmus, qui fit per detractionem, sed specialiter (*sic*) *observatur.*
Aphaeresis est ubi prima sermo sui parte, littera syllabave, multatus est: littera, ut ait Terentius (Adelph. II, 1, 31) 'mitte ista atque a. r. r.', cum debuit dicere 'omitte'; syllaba, ut Vergilius (A. 6, 620) 'temnere divos' pro 'contemnere'.	Aphaeresis est ablatio de principio dictionis contraria prothesi ut 'mitte' pro 'omitte', 'temno' pro contemno'.	Item de aphaeresi. Aphaeresis est ablatio de principio dictionis contraria prothesi, *cum aut littera amputatur aut syllaba aufertur:* (*littera*) ut 'ruit o. l.' (Verg. A. 12, 454) pro eruit; syllaba, ut 'temnere d.' (A. 6, 620) pro contemnere; *et 'linquere c.'* (*A.* 10, 68) *pro relinquere.*
Syncope est cum mediae parti orationis littera syllabave subtrahitur: littera, ut cum dicimus 'audacter' pro 'audaciter'...; syllaba, ut ... et Terentius (Phorm. 1, 2, 51) 'commorat' pro 'commoverat'.	Syncope est ablatio de media dictione contraria epenthesi, ut 'audacter' pro 'audaciter', 'commorat' pro commoverat'.	*De syncope.* Syncope est ablatio de media dictione contraria epenthesi, *ut 'extinxti m. t. q. s.'* (*Verg. A.* 4, 682) *pro extinxisti.*
Apocope est * litterae, ut 'Achilli' pro 'Achillis' genetivo, *et 'magi' pro 'magis'; syllabae, ut 'endo suam do'* (*Enn. ann.* 563) *pro domum.*	Apocope est ablatio de fine dictionis paragoge contraria, ut 'Achilli' pro 'Achillis' et 'pote' pro 'potest'.	*De apocope.* Apocope est ablatio de fine dictionis prosparalepsi vel paragoge contraria, *cum aut littera detrahitur aut syllaba: littera, ut 'aspice n. mage n. s. p. t.'* (*Verg. A.* 10, 481) *pro magis; syllaba, ut 'endo suam do'* (*Enn. ann.* 563) *pro domum.*

Digitized by Google

Charisius.	Anonymus.	Sacerdos.
Prosparalepsis est cum aliquid ad novissimam partem dictionis accedit, ut 'admittier or.' (*Verg. A.* 9, 231) *pro admitti.*	*Prosparalepsis est cum* ultimae syllabae superflua adicitur, ut . . . (Verg. A. 4, 493).	
		De paragoge. Paragoge est cum in fine verbi syllaba additur, ut *'admittier or.'* (Verg. A. 9, 231).
Aphaeresis est aeque generalis metaplasmus, qui fit per detractionem, sed specialiter sic observatur; (aphaeresis est cum) prima parte dictionis	Aphaeresis est metaplasmus, cum principio verbi syllaba subtrahitur, ut:	*De aphaeresi. Aphaeresis fit cum a prima parte* verbi syllaba tollitur, *ut 'linquere'.*
(aut littera amputatur aut syllaba aufertur), ut		
'temnere d.' (Verg. A. 6, 620) pro contemnere.	'et non temnere d.' (Verg. A. 6, 620) pro contemnere. et in nominibus invenitur, ut Plautus dixit e. q. s.	
Syncope est cum mediae parti dictionis aliquid subducitur, ut 'extinxti m. t. q. s.' (*Verg. A.* 4, 682) *pro extinxisti.*	Syncope est medio syllabam subtrahens verbo, *ut 'extinxti' et* 'vixet c. v. d.' (Verg. A. 11, 118).	*De syncope. Syncope est cum* de medio verbo littera tollitur, ut 'oraclum' vel syllaba, ut . . . . (Verg. A. 11, 118).
Apocope est cum ex ultima parte loquellae	Apocope est interdum aliquid ultimae parti auferens, ut *'namque suam do'* (*Enn. ann.* 563) *hoc est suam domum*, et Lucretius in primo (v. 186) . . . . infantibu parvis . . ; aliquando imminuens, *ut Vergilius* (*A.* 10, 481) *'aspice num mage'; mage pro magis.*	*De apocope. Apocope est cum* in fine dictionis syllaba tollitur, ut 'luxuriat' pro 'luxuriatur' et 'luctat' pro 'luctatur'.
aut littera detrahitur aut syllaba: littera, ut 'a. n. magi s. n. p. t.' (*Verg. A.* 10, 481) *pro magis; syllaba, ut 'endo suam do'* (*Enn. ann.* 563) *hoc est domum.*		

Digitized by Google

Consentius.	Donatus.	Diomedes.
Ectasis est cum correpta syllaba poeta sic auctoritate sua utitur tamquam sit temporis longioris, ut est 'Italiam fato profugus' (Verg. A. 1, 2) et ... '*exercet Diana ch.*' (*Verg. A.* 1, 499).	Ectasis est extensio syllabae contra naturam verbi, ut 'Italiam fato profugus' (Verg. A. 1, 2), cum Italia correpte dici debeat.	De ectasi. Ectasis est extensio, quae fit *cum correpta syllaba contra rationem per licentiam producitur, ut 'exercet Diana choros'* (*Verg. A.* 1, 499); hic enim Dianae syllaba prima producta est, cum corripi debeat.
Systole contrarius est superiori metaplasmus, cum poeta longiorem syllabam metri necessitate castiget, ut est 'aquosus Orion' (Verg. A. 4, 52), cum prima Orionis syllaba utique longe sit, ut alibi et ... (A. 3, 517). tale est et ... (A. 1, 41).	Systole est correptio contraria ectasi, ut 'aquosus Orion' (Verg. A. 4, 52), cum Orion producte dici debeat.	*De systole.* Systole est correptio contraria ectasi. fit autem *cum longa syllaba contra rationem corripitur* aliqua necessitate cogente, *ut 'urbemque Fidenum'* (*Verg. A.* 6, 773); *hic enim Fidenarum primam syllabam corripuit, cum producere debuisset,* item 'aquosus Orion' (A. 4, 52).
Diaeresis est cum una syllaba in duas dividitur, ut Vergilius (*A.* 7, 464) ... et (*A.* 9, 26) *'pictai vestis' pro pictae;* Lucretius (1, 84)	Diaeresis est discissio syllabae unius in duas facta, ut 'olli respondit rex Albai longai' (Enn. an. 1, 34).	*De diaeresi.* Diaeresis est discissio syllabae unius in duas *divisae, ut 'dives pictai v. e. a.'* (*Verg. A.* 9, 26) *pro pictae* et 'aulai medio' (*A.* 3, 354).
Episynaliphe est conglutinatio duarum syllabarum in unam facta, ut cum dicitur 'Phaethon' pro 'Phaëthon' et 'Marcipor' pro 'puer', 'Orpheus' pro 'Orphëus' e. q. s.	Episynaliphe est conglutinatio duarum syllabarum in unam facta contraria diaeresi, ut 'Phaethon' pro 'Phaëthon', 'Nerei' pro 'Nereï', 'aeripedem' pro 'aëripedem'.	*De episynaliphe.* Episynaliphe est conglutinatio seu contractio duarum syllabarum in unam syllabam facta contraria synaliphe (diaeresi?), ut 'fixerit aeripedem c. l.' (Verg. A. 6, 803), cum aëripedem *quinque syllabas dicere debeamus. ita fit una syllaba ex duabus.*
Synaliphe est vel syncrisis cum per collisionem concurrentium vocalium subtrahendi ex his aliquam praebeatur occasio ... ut est illud 'atque ea d. p. d. p. g.' (Verg. A. 9, 1)	Synaliphe est per interceptionem concurrentium vocalium lubrica quaedam lenisque conlisio, ut 'atque ea diversa p. d. p. g.' (Verg. A. 9, 1). haec a quibusdam syncrisis nominatur.	*De synaliphe.* Synaliphe est conlisio, quae fit *cum duarum* inter se concurrentium vocalium *altera eliditur,* ut 'atque ea diversa p. d. p. g.' (Verg. A. 9, 1). *hic enim unum e praecedens excludi necesse est.* haec a quibusdam syncrisis nominatur.

Digitized by Google

Charisius.	Anonymus.	Sacerdos.
Ectasis est cum correpta syllaba contra rationem producitur, ut 'exc. Diana ch.' (*Verg. A.* 1, 499) et . . . (A. 1, 478).	*Ectasis est cum per licentiam brevis producitur, ut 'exc. Diana ch.'* (*Verg. A.* 1, 499).	*De ectasi. ectasis est cum corripienda syllaba producitur* metri causa, ut . . . . (Verg. A. 2, 715) et . . . . (A. 1, 30).
Systole est cum producta syllaba contra rationem corripitur, ut 'urbemque Fidenam' (*Verg. A.* 6, 773), *cum prima syllaba debeat produci.*	Systole est e contrario quando syllaba longa corripitur, ut 'aquosus Orion' (Verg. A. 4, 52), *cum prima produci debeat, corripitur.*	*De systole. Systole est cum producta syllaba contra rationem* metri causa *corripitur*, ut . . . . (Verg. A. 2, 774) pro steterunt.
Diaeresis est cum una syllaba in duas dividitur, ut 'pictai vestis' (*Verg. A.* 9, 26) *pro pictae.*	*Diaeresis est* sive diazeuxis *cum in duas syllabas una diducitur, ut 'dives pictai v. e. a.'* (*Verg. A.* 9, 26), quam declinationem Vergilius quattuor locis tantum posuit in Aeneide (3, 354. 6, 747. 7, 464. 9, 26).	(lacuna)
Episynaliphe est una syllaba ex duabus syllabis facta, ut 'fixerit aeripedem c. l.' (*Verg. A.* 6, 803), *cum aëripedem quinque syllabis dicere debeamus.*	*Episynaliphe est una syllaba ex duabus facta, ut 'fixerit aeripedem'* (*Verg. A.* 6, 803) *pro aëripedem:* tetrasyllabon ex pentasyllabo fecit.	*De episynaliphe. Episynaliphe* vel synaeresis *est cum* plurimarum syllabarum dictio in pauciores concluditur, ut 'fixerit aeripedem' (Verg. A. 6, 803) et 'Oelides' (A. 6, 529) pro aëripedem et Aeolides.
Synaliphe est duarum vocalium concursu alterius elisio, ut 'atque ea diversa p. d. p. g.' (Verg. A. 9, 1) *e litteram hic necesse est excludi.*	*Synaliphe est cum* inter duo verba *in concursu duarum vocalium* nulla intercedente consonante *unius fit vocalis elisio*, ut 'atque ea d. p.' (Verg. A. 9, 1). fiunt autem synaliphae his modis: e. q. s.	*De synaliphe. Synaliphe est cum* de convenientibus inter se litteris priorum fit *elisio.* haec fit modis tribus sicut ante (448, 4) monstravi.

Digitized by Google

Consentius.

Ecthlipsis est cum non sola vocalis eximitur, sed necesse est, ut eam consonans sequatur, quale quod diximus 'multum ille et t.' (Verg. A. 1, 3).

Antithesis est, cum pro littera alia littera ponitur, ut mutatio fiat, numerus autem syllabarum non desit, ut cum dicimus 'olli' pro 'illi'.

Metathesis est cum quae fuerat in litteris ab alio in alium locum littera transfertur, ut cum dicimus 'Timbre' pro 'Timber', et 'Euandre' pro 'Euander'.

Donatus.

Ecthlipsis est consonantium cum vocalibus aspere concurrentium quaedam difficilis ac dura conlisio, ut 'multum ille et t. i. e. a.' (Verg. A. 1, 3).

Antithesis est litterae pro littera positio, ut 'olli' pro 'illi'.

Metathesis est translatio litterarum in alienum locum nulla tamen ex dictione sublata, ut 'Euandre' pro 'Euander', 'Thymbre' pro 'Thymber'.

Diomedes.

De ecthlipsi. Ecthlipsis est conlisio quaedam difficilis ac dura consonantium cum vocalibus aspere concurrentium, ut est 'multum ille et t. i. e. a.' (Verg. A. 1, 3).

De antithesi. Antithesis est litterae *commutatio*, *ut 'inpete n. v. . .'* (*Ovid. Met.* 3, 79), *inpete dictum est pro impetu;* et 'olli' pro 'illi'.

De metathesi. Metathesis dicitur translatio. *est autem litterarum ordo mutatus, ut 'nam tibi Timbre caput E. a. e.'* (*Verg. A.* 10, 394); *Timber enim ratione dicendum est.*

De protheseon parallage. Protheseon parallage est cum alia quam quae debet praepositio ponitur, ut 'cui tantum de te licuit?' (*Verg. A.* 6, 502) *pro in te.*

Digitized by Google

Charisius.

Ecthlipsis est cum duabus dictionibus dure concurrentibus aliqua consonantium vel plures quaelibet eliduntur, ut 'multum ille et t. i. e. a.' (Verg. A. 1, 3) pro multum.

Antithesis est litterae pro littera *inmutatio, 'inpete n. v. . . .'* (*Ovid. Met.* 3, 79) *pro impetu.*

Metathesis est ordo litterarum mutatus, ut 'nam tibi Thymbre c. E. a. e.' (*Verg. A.* 10, 394); *ratione enim Thymber dicitur.*

Anonymus.

Ecthlipsis est cum inter se aspere concurrentium syllabarum intercedente sola m littera consonante et vocalem et consonantem quam diximus elidi necesse est, ut 'multum ille et t.' (Verg. A. 1, 3).

Antithesis est litterae pro littera *inmutatio, ut 'inpete n. v. . . .'* (*Ovid. Met.* 3, 79).

Metathesis est litterarum ordo inmutatus, ut 'nam tibi Thymbre c. E. a. e.' (*Verg. A.* 10, 394).

Sacerdos.

De ecthlipsi. De hac supervacuum est dicere, quia synaliphe similis est. quidam tamen inter synaliphen et ecthlipsin hoc interesse voluerunt, ut synaliphe sit vocalium, ecthlipsis vero consonantium.

De antithesi. Antithesis est litterae pro littera *commutatio, ut*

'olli' pro 'illi'.

De metathesi. Metathesis est cum isdem litteris in verbo manentibus fit transmutatio litterarum ac si dicas 'leriquias' pro 'reliquias' (cf. Diomed. p. 452, 30).

De protheseon parallage. Protheseon parallage est cum altera praepositio pro altera ponitur, ut 'cui tantum de te licuit?' (*Verg. A.* 6, 502) *pro in te.*

Digitized by Google

Cap. IV.

Diomedem in altero quoque capite (p. 443, 5 sqq.)

'De schematibus'

ex fontibus pluribus hausisse et ipse indicat, cum saepe duas vel tres eiusdem figurae definitiones proponat, et aliis quibuscum ei cognatio quaedam intercedit grammaticis collatis plane potest demonstrari. nam hic quoque Donatum, Charisium, Sacerdotem artissimo cum Diomede cognationis contineri vinculo facile patebit ex tabula, in qua cum Diomede composui quae tres illi artigraphi de schematibus disputant[50]). atque si ad definitiones animum attendes, videbis reliquos pro artis succincta brevitate in una cuiusque figurae definitione se continuisse, Diomedem plerumque binas vel plures contaminasse, ita ut ei modo cum Donato, modo cum Charisio Sacerdoteque conveniat. hinc igitur in eruendis Diomedis fontibus proficiscendum est.

Quod enim Diomedes nunc cum Donato nunc cum Charisio consentit[51]), sequitur eum libris usum esse duobus, quos, cum non fuerint Donati Charisiique 'artes', nullos alios fuisse nisi quorum alter Donato, alter Charisio praesto fuit, testatur accuratus cum his consensus. atque haec sententia, Diomedi duos ante oculos fuisse fontes, eo stabilitur, quod apud eum duas formas definiendi easdem ac supra reperimus, quarum altera in iis quae cum Donato conspirant definitionibus occurrit, altera eadem est, quae apud Charisium Sacerdotemque plerumque adhibita est. (cf. supra p. 16 sqq.)

Cum vero nonnullarum Diomedis definitionum singulae partes vel singula verba partim

---

50) cf. infra. Sacerdotis tractatum non totum exscripsi sed ea tantum, quibus eaedem atque apud Diomedem explicantur figurae, recepi in tabulam. — de Diomedis, Charisii, Donati consensu in universum idem dicendum est, quod de primario fonte graeco et de Palaemones upra p. 17 sq. protulimus. quod vero apud Donatum schemata decem et septem, apud Charisium duodevinginti, undeviginti apud Diomedem tractantur, primum quidem et apud Ch. et apud Diomedem schema asyndeti debetur interpolatori (animadvertas, quod apud Ch. p. 281, 10 locus est lacunosus et apud Diom. 445, 6 definitioni asyndeti deest exemplum; praeterea autem dialyton, de quo uterque, sicut Donatus et Sacerdos, agit, nihil est aliud nisi asyndeton); deinde Diomedes nonnulla ex libro quodam sumpsit, quo neque Donatus neque Charisius usus est. cf. infr. p. 31 sqq.

Sacerdos vero, quem a Charisii auctore nonnulla derivasse infra elucebit, numero multo maiore et ordine singulorum schematum ab aliis prorsus differt.

51) cum Donato cf. Diomedis definitionem hypozeuxeos alteram, syllepseos alteram, anadiploseos alteram, priorem anaphorae, homoeoteleuti alteram, tertiam homoeoptoti. cum Charisio et plerumque etiam cum Sacerdote consentiunt definitiones hae: hypozeuxeos prior, syllepseos prior, anadiploseos prior, epanalepseos altera, scheseos onomaton altera, (prior cum Sacerdote), altera parhomoei.

Digitized by Google

apud Donatum partim apud Charisium Sacerdotemque redeant [52]), Diomedem colligimus interdum ex diversis auctorum suorum definitionibus duabus conflasse unam. quod enim aliquis conicere potest omnes hos grammaticos unum secutos esse auctorem, cuius verba apud Diomedem servata sint integra, mutata apud ceteros tres, id refellitur, quod miro modo accidit, ut apud Donatum nulla inveniatur definitio, quae itidem apud Charisium Sacerdotemque prolata sit. quamquam enim generaliter interdum conspirant, ad communem tamen fontem demonstrandum generalis consensus non sufficit apud grammaticos, quos non solum doctrinam auctorum suorum sed etiam verba ipsa in libros suos transtulisse multis demonstratur locis [53]). atque ne exemplis quidem, quae omnibus artigraphis quatuor sunt communia [54]), sententia nostra redarguitur. talis enim consensus nihil aliud indicat nisi totam hanc doctrinam principio ab uno profectam esse auctore.

Duo igitur discernendi sunt Diomedis auctores, quorum alter fuit auctor Donati, alter Charisii Sacerdotisque. iam quaeri potest, utrum ea, quae Diomedi cum his artigraphis non sunt communia, tertio cuidam auctori debeantur. id quod imprimis cadit in ea, quae Diomedis propria sunt in initio capitis (p. 443, 6—12) et in fine, de gradatione (p. 448, 12 sqq.). haec quadamtenus redire ad Quintilianum docet et ipsius Quintiliani auctoritas p. 443, 7 arcessita et summa cum hoc consensio in tractanda gradatione.

Sed Diomedes ipsene illius libris usus est an per alium quendam grammaticum doctrinam Quintiliani accepit? atque cum multa Quintilianea apud Diomedem inveniantur in eo capite, quo 'de compositione' disseritur (p. 464, 25 sqq.), hinc exordiamur. conferas enim, quaeso, haec:

---

52) cf. infra in tab. definitiones prolepseos, epizeuxeos, polyptoti, hirmi, dialyti vel asyndeti.

53) neque Keilio (Gr. lat. IV, XLI) concedendum est etiam Charisium, sicut Diomedem, ita cum Donato consentire, ut eum ex eodem fonte hausisse plane appareat.

54) ut Verg. A. 12, 161 s. t. de prolepsi.
„ „ 3, 359 „ „ zeugmate.
„ „ 10, 149 „ „ hypozeuxi.
„ „ 1, 16 „ „ syllepsi.
„ „ 10, 180 „ „ anadiplosi.
„ „ 1, 664 „ „ anaphora.
„ „ 9, 427 „ „ epizeuxi.
„ „ 4, 628 „ „ polyptoto.
„ „ 6, 724 „ „ hirmo.
„ „ 4, 593 „ „ dialyto.

Digitized by Google

Diomedes.

(Paucis praemissis Diomedes pergit p. 465, 10):

Sed quia compositionis pars, quam ad artem grammaticam pertinere diximus, pedibus constat, statuendum est, quo quemque eorum nomine appellemus. variis enim vocabulis traduntur. sunt ergo quattuor pedes e binis syllabis, octo ternis: spondius longis duabus, pyrrichius, quem alii pariambum vocant, brevibus, iambus brevi longaque, huic contrarius e longa et brevi *trochaeus*. in his vero qui ternas syllabas habent dactulum longa duabusque brevibus, huic temporibus parem sed retroactum appellari constat anapaeston. media inter longas brevis facit amphimacron; sed frequentius eius nomen est creticus. longa inter breves amphibrachys: at cum duas longas praecedit brevis, bacchius; huic adversus longis brevem praecedentibus palimbacchius erit. tres breves *trochaeum*, quem tribrachyn volunt dici, qui choreo trochaei nomen imponunt, tres longae molosson efficient.

*Componitur igitur et struitur omnis pedestris oratio verbis * commata cola periodos. comma incisum, colon membrum nominamus;* periodo plurima nomina dat Cicero (Or. § 204), ambitum circuitum conprehensionem continuationem circumscriptionem. in verbis observandum est primum, ne a maioribus ad minora descendat honoremque perdat oratio. melius enim dicitur vir est optimus quam vir optimus est. hoc multo magis ibi custodiendum est, ubi singula verba sensus habet, cavendumque ne fortiori coniungatur infirmius, ut sacrilego fur, homicidae corruptor. namque sensus omnis a parvo in maius debet insurgere. sit et illa naturalis observatio, ne iunctura verborum cacenphaton sonet, quale est:

'et numerum cum navibus aequet' (Verg. A. 1, 193).

illa quoque conpositio fugienda, ut syllabae duae pluresve, quae priorem sensum terminant, in prima posterioris sensus parte ponantur,

'o fortunatam natam me consule Romam'.

sed in conpositione iuncturaque verborum maius studium maiorque cura est. *fit autem ex coniunctione verborum comma, ex commatibus colon, ex colis periodos.* comma est, ut mea fert opinio, sensus non expleto numero conclusus, plerumque pars membri. tale est enim quo Cicero utitur (Or. 67, 223) 'domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas'. fit autem etiam singulis verbis incisum, 'diximus, testes dare volumus', (Or. 67, 225), incisum est 'diximus'. membrum autem est sensus * sed a toto corpore abruptus et per se nihil efficiens, 'o callidos homines' (Cic. l. l.); perfectum est, sed remotum a ceteris vim non habet, ut per se manus et pes et caput: 'o rem excogitatam'. quando ergo incipit corpus esse? cum venit extrema conclusio, 'quem quaeso nostrum fefellit id vos ita esse facturos?' (Cic. l. l.) quam Cicero brevissimam putat. itaque fere incisa et membra *multa* sunt et conclusionem utique desiderant.

alii sic: *comma est iuncturae finitio, 'etsi vereor iudices' (Cic. pro Mil. 1); item alterum comma, 'ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere': iam factum est colon, id est membrum, quod intellectum sensui praestat. deinde sic ex plurimis incisis membrisqne fit periodos in extrema illa clausula, 'veterem iudiciorum morem requirunt'. periodos autem non longior esse debet quam ut uno spiritu proferatur.* modum eius Cicero (Or. 66, 222) quattuor senariis versibus terminavit. nonnulli vero duo genera eius esse dicunt, unum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur; alterum quod constat ex membris et incisis, quod plures sensus habet, 'aderat ianitor carceris, carnifex praetoris' (Cic. in Verr. act. sec. V, 45, 118). sed tamen ita sit aperta, ut intellegi possit et memoria contineri.

Digitized by Google

Quintilianus.

Sed quia omnem compositionem oratoriam constare pedibus dixi, aliqua de his quoque, quorum nomina quia varia traduntur, constituendum est quo quemque appellemus. equidem Ciceronem sequar . . . . ergo cum constent quattuor pedes binis, octo ternis, spondion longis duabus, pyrrichium, quem alii pariambum vocant, brevibus, iambum brevi longaque, huic contrarium e longa et brevi *choreum, non ut alii, trochaeum nominemus.* ex iis vero, qui ternas syllabas habent, dactylum longa duabusque brevibus, huic temporibus parem, sed retro actum appellari constat anapaeston. media inter longas brevis faciet amphimacron, sed frequentius eius nomen est cretious, longa inter breves amphibrachyn huic contrarium. duabus longis brevem sequentibus bacchius, totidem longis brevem praecedentibus palimbacchius erit. tres breves trochaeum, quem tribrachyn dici volunt, qui choreo trachaei nomen inponunt, totidem longae molosson efficient. (lib. IX, 4, 79; 80—82.)
(Isid. Or. II, 18: *Componitur autem instruiturque omnis oratio commate, colo et periodo. comma particula est sententiae. colon membrum. periodus ambitus vel circuitus.*) periodo plurima nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, conprensionem, continuationem, circumscriptionem. genera eius duo sunt e. q. s. (IX, 4, 124). — primum igitur de ordine. eius observatio in verbis est singulis et contextis. singula sunt, quae ἀσύνδετα diximus. in his cavendum, ne decrescat oratio et fortiori subiungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur aut latroni petulans: augeri enim debent sententiae et insurgere, ut optime Cicero e. q. s. (l. l. § 23.)

videndum etiam, ne syllabae verbi prioris ultimae et primae sequentis sint eaedem: quod ne quis praecipi miretur, Ciceroni in epistulis excidit: 'res mihi invisae visae sunt, Brute', et in carmine: 'o fortunatam natam me consule Romam'. (l. l. § 41.)

(Isid. l. l.: *fit autem ex coniunctione verborum comma, ex commate colon, ex colis periodus.*) incisum, quantum mea fert opinio, erit sensus non expleto numero conclusus, plerisque pars membri. tale est enim, quo Cicero utitur (Or. 67, 223): 'domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas'. fiunt autem etiam singulis verbis incisa: 'diximus, testes dare volumus': incisum est 'diximus'. membrum autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus et per se nihil efficiens. 'o callidos homines' perfectum est, sed remotum a ceteris vim non habet, ut per se manus et pes et caput: 'o rem excogitatam'. quando ergo incipit corpus esse? cum venit extrema conclusio: 'quem quaeso nostrum fefellit, id vos ita esse facturos?' quam Cicero brevissimam putat. itaque fere incisa et membra *mutila* sunt et conclusionem utique desiderant. (l. l. § 122 sq.)
(Isid. II, 18, 2: *comma est iuncturae finitio, ut puta 'etsi vereor, iudices', ecce unum comma: sequitur et aliud comma, 'ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientibus timere': et factum est colon, id est membrum, quod intellectum sensui praestat; sed adhuc pendet oratio: sicque deinde ex pluribus membris fit periodus, id est extrema sententiae clausula, ita 'veterem iudiciorum morem requirunt'. periodus autem longior esse non debet, quam ut uno spiritu proferatur.*) modus ei a Cicerone aut quattuor senariis versibus aut ipsius spiritus modo terminatur. praestare debet, ut sensum concludat e. q. s. (l. l. § 125). genera eius duo sunt: alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur, alterum, quod constat membris et incisis, quae plures sensus habent: 'aderat ianitor

Digitized by Google

Diomedes.

Iunctura igitur apte convenire et sine hiatu verborum construi debet, quod non aliter efficitur quam si fuerit observatum. sed haec observatio duplex est: altera, quae ad pedes refertur, altera, quae ad conprehensiones, quae ipsae efficiuntur ex pedibus. item *ne praecedentis verbi extrema vocalis vocalem primam inlidat verbi sequentis*, ut si dicas 'aere emit', 'illi incumbit', 'fore omnia' et similia. hiat enim iunctura, *quae structior pleniorque fieret, si consonantes vocalibus adplicarentur*, 'aere mercatur', 'illi totus incumbit', 'fore cetera'. magis autem structura patet, cum in se longae vocales incidunt, ut '*Thebae Aegyptiae*', 'profugo Aeneae'. sed habent quendam canorem pronuntiationis, quasi neglegentem decorem. longa magis cum brevi iungitur, 'aere emit', 'illi incubuit', quam si duae breves iungantur, 'aere exutus', 'arma abiecit'. plurimum vero auctoritatis et ponderis habent longae, celeritatis breves, quae si miscentur quibusdam longis, currunt; si continuantur, exultant. acres quae ex brevibus ad longas insurgunt, leniores quae a longis in breves descendunt. optime incipitur a longis, recte aliquando a brevibus, ut 'novum crimen G. C.' (Cic. pro Lig. 1.), lenius a duabus, ut 'animadverti iudices' (Cic. pro Cluent. 1). clausula quoque e longis firmissima est; sed venit et in breves, quamvis habeatur indifferens ultima. neque enim ego ignoro in fine pro longa accipi brevem, quia videtur aliquid vacantis temporis ex eo, quod insequitur, accedere.
fugienda quoque est et consonans inlisa vocali, 'bonum aurum', 'iustum enim est' et similia, quae deformant orationis integritatem. item *ex consonantibus, quae in se incidentes stridere et quasi rixari videntur, vitanda iunctura est*, ut 'Sextus Roscius', '*ars studiorum*', '*rex Xerxes*', '*error Romuli*' [55]). haec de verbis e. q. s. p. 467, 16—471, 29.

Vides igitur non pauca modo hinc modo illinc ex Quintiliani libro nono electa et aut inter se ipsa coniuncta aut aliis paucis interpositis prolata esse. ex iis vero, quae Diomedi cum Quintiliano communia non sunt, nonnulla iterantur apud Isidorum. itaque in hoc 'de compositione' capite prorsus eadem observatur ratio ac p. 448, 12 sqq. s. t. 'de gradatione', ubi Diomedes item partim cum Quintiliano, partim cum Isidoro, partim cum neutro consentit (cf. tab.).

Hoc quomodo explicandum est? Isidorus exscripsitne Diomedem? et Diomedes num excerpsit ipsum Quintilianum? consensum, qui inter Isidorum et Diomedem intercedit, non inde ortum esse, quod ille huius arte grammatica usus sit, mihi persuasum est. etiamsi enim episcopus hispalensis in rebus explicandis grammaticis praeter Donatum, quem pluribus locis (Orig. I, 6; 33, 4; 37, 1. II, 21, 1) nominat et quocum multo saepius ad verbum conspirat, aliorum quoque grammaticorum libris usus est, Diomedis tamen 'artem' adhibuisse propterea

55) cf. et Quintil. IX, 4, 37: 'ceterum consonantes quoque, earumque praecipue quae sunt asperiores, in commissura verborum *rixantur*, ut si s ultima cum x proxima confligat, quarum tristior etiam, si binae collidantur, *stridor* est, ut '*ars studiorum*'. — simili modo etiam in sequentibus apud Diomedem nobis occurrunt Quintiliani vestigia, ut p. 467, 23 sq.: Cicero in Antonium 'vomens' cet. cf. Quintil. IX, 4, 44; Diomed. 468, 1: Omnis autem structura cet. cf. Quint. l. l. 45: Omnis struc-

Digitized by Google

carceris, carnifex praetoris', reliqua (l. l. § 124). sit aperta, ut intellegi possit, non immodica, ut memoria contineri. (l. l. § 125.)

Illud prorsus oratoris, scire ubi quoque genere compositionis sit utendum. ea duplex observatio est: altera, quae ad pedes refertur, altera quae ad conprensiones, quae efficiuntur ex pedibus, (l. l. § 121).

(Isid. II, 19, 2: *In literis, ut iunctura apta et conveniens sit: et sic observandum, ne praecedentis verbi extrema vocalis in eandem vocalem primam incidat verbi sequentis, ut 'feminae Aegyptiae': quae structura melior fit, si consonantes vocalibus applicantur.*)

plurimum igitur auctoritatis, ut dixi, et ponderis habent longae, celeritatis breves: quae si miscentur quibusdam longis, currunt, si continuantur, exultant. acres quae ex brevibus ad longas insurgunt, leniores quae a longis in breves descendunt. optime incipitur a longis, recte aliquando a brevibus, ut 'novum crimen': lenius a duabus brevibus, ut 'animadverti iudices', sed hoc pro Cluentio recte, quia initium eius partitioni simile est, quae celeritate gaudet. clausula quoque e longis firmissima est, sed venit et in breves, quamvis habeatur indifferens ultima. neque enim ego ignoro in fine pro longa accipi brevem, quia videtur aliquid vacantis temporis ex eo, quod insequitur, accedere (l. l. 91—93). (Isid. l. l. *triumque consonantium, quae in se incidentes stridere et quasi rixari videntur, vitanda iunctura est, id est r s x, ut 'ars studiorum', 'rex Xerxes', 'error Romuli'. fugienda est consonans m illisa vocalibus, ut 'verum enim'.*)

non potest, quod non est credibile Isidorum ea, quae lib. II, 18 sqq. 'de colo, commate et periodo' ac 'de vitiis litterarum et verborum et sententiarum cavendis' breviter disputavit, ex Diomedis arte grammatica, ubi illa in capite 'de compositione' multis locis dispersa sunt, collegisse et ita Diomedem exscripsisse, ut nusquam Quintilianea, sed ea tantum, quae illis intexta sunt, transcripserit. accedit quod Diomedes vel eius auctor librum, quo Isidorus usus est, semel disertis verbis 'alii sic' commemorat. an putas Isidorum ex Diomede de industria 'aliorum' explicationem excerpsisse? unde ei notum fuit, cetera quoque, quae ex hoc grammatico sumpsit, 'aliorum' esse, cum Diomedes illo uno loco excepto 'alios' nusquam nominet? sed luce clarius est Isidorum non ex Diomede, sed ex antiquiore fonte, in quo illa Quintilianea non exhibebantur, hausisse[56]).

---

tura cet.; Diomed. 468, 9 sq. (Cic. pro Mil. 1; pro Cluent. 1; in Pison. 1) cf. Q. l. l. 74; 76. Diom. 468, 12 (Salust. Iug. 1) cf. Q. l. l. 77. Diom. 468, 16: 'in conlocatione verborum aptiora et tam ordini quam viribus congruentia contrahere debemus, sic tamen ut potiora sint utilia dure locata conpositis inutilibus' cf. Q. l. l. 58: 'Conlocatio autem verba iam probata et electa et velut adsignata sibi debet conectere: nam vel dure inter se commissa potiora sunt in utilibus'.

56) apud Dresselium 'De Isidori originum fontibus' (Rivista di filologia III) de hac re nihil invenitur.

Digitized by Google

Quid vero de Diomede statuendum est? Adhibuitne et Quintilianum et Isidori auctorem an exscripsit librum quendam, quo doctrina utriusque coniuncta erat? prior sententia bene quadrat in Diomedis rationem contaminandi. attamen altera sententia videtur praeferenda esse. primum enim non ipsum Diomedem sed eius auctorem libris Quintiliani usum esse ideo statuerim, quod operam ea, quae apud Quintilianum pluribus locis sunt dispersa, colligendi et in iustum redigendi ordinem, maiorem fuisse puto quam quae a Diomede in opere suo componendo consumpta esse credatur; praecipue etiam singuli illi loci, quibus Diomedes minus accurate cum Quintiliano consentit, fontem indicant secundarium. deinde autem licet Diomedes ipse illius inspexerit libros, nihilominus in capite 'de schematibus' perscribendo exceptis Donati et Charisii auctoribus etiam ex tertio (vel tum potius quarto) quodam libro hausit, cum non sit perspicuum, unde ea quae s. t. de gradatione non cum Quintiliano, sed partim cum Isidoro communia habet, derivaverit nisi ex tertio quodam fonte, quoniam in duobus fontibus aliis, quos supra cognovimus, nec volam nec vestigium exstitisse intellegitur ex Charisio, Sacerdote, Donato, apud quos mentio huius figurae, quae errore inter grammaticas figuras irrepsit, fit nulla. porro tertius indicatur auctor exemplis nonnullis, velut et in parhomoei et in polysyndeti explicatione bina inveniuntur exempla, quorum nullum apud ceteros auctores exstat; item apud Diomedem Sallustius quater (s. t. de prolepsi, de anaphora, de homoeoteleuto, de homoeoptoto), nusquam apud ceteros citatur; Ciceronis quoque verba apud illos perraro vel, ut apud Donatum, nusquam, apud Diomedem quinquies in exemplum vocantur (cf. s. t. de zeugmate, de epanalepsi, de paronomasia, de dialyto). accedit quod ex his quinque exemplis Ciceronianis duo recurrunt apud Quintilianum, id quod casu factum esse nequit, cum a grammaticis latinis ad illustrandas virtutes vitiaque orationis exempla plerumque ex poetis (imprimis ex Vergilio) repetantur. unde igitur duo illa exempla pervenerunt ad Diomedem? ab hoc ea ex Quintiliani libro sumpta esse nemo contenderit; sed multo probabilius tertio debentur auctori, cuius libro Diomedes in capite 'de compositione' usus est; praesertim cum in illo capite exempla fere omnia, circa viginti quinque, ex Cicerone sumpta sint eaque magnam partem ex iisdem orationibus atque in capite 'de schematibus'.

Iam quaeritur, quomodo factum sit, ut apud Diomedem in utroque capite ille auctor simul cum Quintiliani doctrina nobis occurrat. et mihi quidem nihil videtur probabilius esse quam Diomedem Quintiliani quoque explicationes per illum auctorem accepisse, praesertim cum Quintiliani vestigia tam perspicua alibi apud eum non reperiuntur nisi semel p. 456, 29 (de tropo), ubi illius memoriam Diomedi ipsi deberi cur putemus, nulla est causa; immo vero ibi quoque praeter Donati et Charisii auctores tertium fontem Diomedi praesto fuisse demonstrari potest.

Tres igitur Diomedes in capite 'de schematibus', sicut in praecedenti 'de metaplasmis',

Digitized by Google

adhibuit auctores, quorum duos (Donati et Charisii) in utroque capite esse eosdem tota argumentatione nostra patet. itaque iam circumspiciamus, qui illi auctores fuerint.

Praeter Quintilianum, de quo sententiam nostram modo protulimus, semel nominatur Scaurus, ut auctor alterius definitionis hypozeuxeos. apud Donatum vero et apud Charisium Sacerdotemque nullius mentio fit auctoris. atque Scauro Keilius quidem putat (Gr. lat. I, p. LI), cum definitioni hypozeuxeos ex eo sumptae apud Diomedem altera eiusdem figurae definitio praecedat, in reliquis quoque schematibus, quae dupliciter definita sint, alteram definitionem probabiliter esse tribuendam. quae coniectura, etiamsi adstipuletur Schottmuellerus l. l. 14, per se nihil aliud est nisi coniectura quae probari nequit. et si Keilius 'alteram definitionem' eam intellegit, quae apud Diomedem non in priore sed in altero posita est loco, tum sententia eius stare non potest, cum Diomedes in exscribendis suis auctoribus nequaquam semper unum eundemque observaverit ordinem. immo alia progrediendum est ratione. vidimus unum ex Diomedis auctoribus eundem esse, quem secutus est Donatus. cum vero Donatus in definienda hypozeuxi cum Scauro, cuius mentionem ipse non facit, ad verbum consentiat, optimo iure statuere possumus Diomedis et Donati auctorem communem fuisse Scaurum. quae sententia firmatur ea re, quod quae in codicibus Diomedis Scauri definitioni hypozeuxeos (p. 444, 30) adnexa est, lemmate 'de syllepsi' omisso, syllepseos definitio[57]), ea itidem ad verbum apud Donatum redit. lemmata igitur videtur Scaurus definitionibus non praeposuisse, quod optime convenit argumentationi meae, cum apud Donatum quoque nulla exstent lemmata, non solum in capite de schematibus, sed etiam in capitibus de metaplasmis, tropis, vitiis orationis. contra apud Diomedem et Sacerdotem ubique, apud Charisium in tractandis vitiis orationis et tropis lemmata adhibentur, sine dubio ideo quod in fonte tribus his grammaticis communi ea reperiebantur. accedit forma definiendi. nam ut a Scauro hypozeuxis verbis 'superiori contraria' zeugmati opponitur, ita a Donati Diomedisque auctore communi saepe singulae figurae opponuntur[58]), nusquam apud Charisium. denique Donatum secutum esse Scaurum tamquam ducem quasi disertis verbis videtur testari Sergius (expl. in Donat, 552, 31): 'plerique docent et connexionem esse in declinatione verborum, quam Donatus siluit vel Scaurus'. atque aliis

---

57) haec definitio a Keilio male transposita est, cum, ut me monet Kiesslingius, in codicibus duarum figurarum explicationes sub uno lemmate coniunctae sint non culpa librarii sed neglegentia Diomedis.

58) ut apud Diom. 441, 23 = Donat. 396, 8.
441, 27 = „ —, 10.
—, 32 = „ —, 12.
442, 5 = „ —, 16.
—, 21 = „ —, 22.
448, 6 = „ 399, 8.

Digitized by Google

quoque locis Scaurianae doctrinae vestigia in Donati 'arte' apparent, velut in iis quae de adverbiis docet p. 385, 12: 'adverbia ... ab aliis partibus orationis veniunt, a nomine appellativo ... a proprio .. a vocabulo' e. q. s.; discernuntur igitur hic nomen proprium, appellatio, vocabulum. quam doctrinam Scaurianam esse docet frg. 16 cf. supra p. 5. etiamsi enim Scaurus non solus talia praecepit (cf. Quintil. 1, 4, 20), non tamen neglegendum est, quod Diomedes p. 403, 24 sqq. (= frg. 21) eadem quae Donatus l. l. exhibet atque paulo ante Scaurum nominat auctorem [59]).

Verum contra hanc meam sententiam, Donatum Scauri arte grammatica usum esse, pugnat, quod Wentzelius (Symb. crit. Vratisl. 1858) p. 25 sqq. contendit maximam Donati 'artis' partem redire ad M. Plotium Sacerdotem. itaque opus est, ut de hac re pauca addamus.

Wentzelius Donati doctrinam ad Sacerdotem referendam esse imprimis ex iis colligit, quae uterque de modis verbi explicat [60]). sed apud Sacerdotem p. 432, 18 'modi verborum sunt *quinque*': *pronuntia*tivus imperativus optativus *sub*iunctivus infinitus; et additur quosdam tempus futurum modum appellare promissivum, sed illos errare, quod tempus futurum sit specie promissiva. secundum Donatum vero p. 381, 17 'modi sunt, ut multi existimant, *septem*': *indica*tivus imperativus promissivus optativus *con*iunctivus infinitus impersonalis; modus autem promissivus verbis 'sed hunc nos modum non accipimus' improbatur, et de modo impersonali 'hunc quidem modum' inquit 'pro genere aut significatione verbi accipiunt'. uterque igitur promissivum modum reicit, differunt inter se de modo impersonali. id vero nobis propterea offensioni non esse debere putat W. p. 46, quod Donatus hunc modum non ab omnibus grammaticis inter modos referri profiteatur, sed a quibusdam in generibus verbi numerari; itaque cum etiam apud S. species impersonalis ultimum teneat locum generum, omnia bene se habere. sed cur Donatus initio modos enumerat septem, cum sex tantum probet? sine dubio nulla de alia causa nisi quod apud auctorem septem illi modi exhibebantur [61]). at Sacerdos praebet quinque. — Sed etiamsi fieri potuisse, ut Donatus ex Sacerdotis libro nonnulla sumpserit, non prorsus negaverim, attamen exspectaremus Donato de ceteris quoque, quae verbo accidunt, si non de omnibus, in universum tamen cum auctore convenire. e contrario autem non solum alio ordine accidentia recensentur, sed desiderantur etiam 'forma' et 'modus'. porro secundum Sacerdotem p. 429, 25 'qualitas in verbis aut finita est, ut amo, aut infinita ut amare'; Donato 'qualitas verborum in modis est et in formis'. deinde formae verborum sunt apud D. quatuor, perfecta

59) quod autem Scauri expositio introducitur verbis 'Scaurus ita definit', illud 'definit' nequaquam ad definitionem tantum pertineat necesse est, sed plerumque idem significat quod verbum 'disserendi' (Charis. p. 160, 1. 168, 5. 175, 30. 186, 30) apud Diomedem non minus (cf. p. 415, 16) quam apud Charis. p. 12, 4. 14, 10. 168, 19. 225, 5. 231, 1. 265, 23. 267, 23.

60) de Wentzelii errore inventorem 'septimi casus' fuisse Sacerdotem cf. supra adnot. 17.

61) sicut apud Charis. p. 168, 2 (auctore, ni fallor, Cominiano) et Anonym. Gr. lat. I, 562, 21.

Digitized by Google

meditativa frequentativa inchoativa (359, 10); formam igitur verborum eandem intellegit quam Dositheus, Anonymus Gr. lat. I, Victorinus, quaeque species a Prisciano, a Dionysio εἶδος appellatur. contra Sacerdoti (429, 20) formae verborum sunt duae, personalis et impersonalis. denique cum hic genera verborum protulerit novem, apud D. sicut apud plerosque exstant quinque. adde quod S. verbis deponentibus et neutris participia tribuit quatuor, Donatus duo. vides igitur totum verbi systema prorsus esse diversum.

Quae autem uterque de schematibus, de metaplasmis cet. tradidit, in iis sane is, qui more Wentzelii omnibus grammaticis reliquis neglectis solum Donatum cum Sacerdote contulerit, persaepe tantum consensum invenisse sibi videbitur, ut Donatum ex Sacerdote hausisse statuerit. sed qui doctrinam vel potius singula verba horum grammaticorum etiam cum Diomedis Charisiique explicationibus comparaverit, Donatum ne eodem quidem fonte atque Sacerdotem, nedum huius ipsius arte grammatica usum esse concedere non dubitabit.

Sed ut ad Diomedem redeamus, secundum huius auctorem, quem Charisius quoque et haud raro Sacerdos secutus est, Cominianum fuisse mihi constat. Diomedes enim non solum in explicandis schematibus et metaplasmis sed etiam in tractandis vitiis orationis tropisque auctorem adhibuit Charisii. cum vero hic disserens de barbarismo et soloecismo priorem duorum auctorum, quos ibi exscripsit, Cominianum fuisse ipse testetur[62]) et cum apud Diomedem alterius Charisii auctoris nullum reperiatur vestigium, Cominiano autem ea, quae in initio de barbarismo leguntur, certe debeantur[63]): vix dubitari potest, quin Cominiano ea quoque vindicanda sint, quae Charisius et Diomedes de ceteris vitiis, de metaplasmis, de schematibus, de tropis a communi auctore derivaverunt[64]). accedit quod Diomedem sicut Charisium aliis locis multis 'artem' huius grammatici exscripsisse constat[65]).

Qui tertius Diomedis auctor fuerit, statuere mihi non contigit. — De Scauro vero pauca sunt addenda. cum enim huius definitiones apud Diomedem saepe nullum excipiat exem-

---

62) p. 265, 2: 'De barbarismo, ut ait Cominianus'; 266, 15: 'De soloecismo, ut ait Cominianus'.

63) cf. Diomed. 451, 21—33 et Cominiani doctrinam apud Charis. 265, 2—11.

64) eandem sententiam protulit Schottm. l. l. p. 14. quod vero Sch. ea quoque, quae Charisius p. 283, 15—287, 16 'de schemate dianoeas' docet, Cominiano tribuit, adsentiri non possum, non tam quod illa apud Diomedem frustra quaerimus quam quod Ch. p, 279, 24 legimus: 'sed cum ad oratorias virtutes pertineat schema dianoeas, nos de eo loquemur quod schema lexeos dicitur' (= Diomed. 443, 12 sq.). cum igitur Cominianus ipse dicat se de schematibus dianoeas non locuturum esse, eum tamen de hac re egisse non credendum est.

65) Sacerdotem vero, quem interdum ex Charisii auctore pendere supra diximus, Cominiani 'artem' inspexisse nulla est causa, cur non credamus. immo vero librum huius grammatici ei notum fuisse firmatur iis, quae de verbo exposuit, cum ibi saepe contra Cominiani doctrinam, quae nobis nota est ex Charisio, pugnet.

Digitized by Google

plum, ut p. 444, 30. 445, (4;) 12. 447, 11; 19, facile quis opinetur in Scauri libro exempla definitionibus nulla addita fuisse. quod ut per se prorsus est incredibile, ita quomodo illud factum sit, inde explicatur, quod plerisque locis, quibus Scauri definitioni exempla non apposita sunt, huius definitioni praecedit et altera definitio ex Charisii auctore sumpta et exemplum aliquod, quod Diomedi non solum cum Charisio sed etiam cum Donato est commune; quamobrem probabile est Diomedem exempla apud Scaurum non tam non reperisse quam de industria omisisse, ubi apud eum nullum inveniebat aliud exemplum quam quod modo ex Charisii auctore transcripserat. quae sententia probatur iis locis, in quibus exempla duorum auctorum sunt diversa, velut s. tit. 'de epanalepsi' et 'de paronomasia', ubi Diomedes exhibet exemplum utriusque[66]).

Quod porro apud Donatum tres figurae, parhomoeon, homoeoptoton, homoeoteleuton, cum contra huius auctoris morem ad normam auctoris Charisii definiantur, Scauro videntur abiudicandae esse, tamen, cum duae harum definitionum apud Diomedem pari modo prolatae sint, ut dubitari non possit, quin in fonte communi exstiterint, fieri non potest, quin etiam tres illas definitiones Scauro vindicemus, praesertim cum facile perspiciatur, cur grammaticus in definiendi ratione sibi non constiterit. ex mea enim sententia Scaurus in definiendis tribus illis figuris alia forma propterea usus est, quod vocabula graeca 'parhomoeon', 'homoeoteleuton', 'homoeoptoton' in linguam latinam vertere difficilius est quam quod aptis nominibus quae vocantur substantivis fieri possit[67]). quae cum ita sint, omnia quae Diomedi cum Donato in explicandis metaplasmis schematibusque communia sunt, tribuemus Scauro (excepta Donati altera syllepsos definitione spuria[68]). atque cum porro Donatus et Diomedes, ubi consentiunt, plerumque conveniant ad verbum — unde elucet non solum Scauri doctrinam sed verba ipsa apud eos servata esse[69]) —, et cum Diomedes Scauri definitiones saepe cum aliis confuderit, in

---

66) quamquam s. t. 'de paronomasia' exemplum Terentianum, cum apud Sacerdotem quoque redeat, etiam Cominiano potest deberi. ne quis vero Diomedem secutus hoc exemplum putet in Scauri definitionem prorsus non quadrare, monendum est, quod Diomedes definitionem Scaurianam cum alia, aliunde petita, ita coniunxit, ut Scauri definitioni illata sit notio, quae ab ea aliena est. paronomasian autem variis fieri modis docet iam Cornificius ad Herenn. IV, 21, 29; cf. etiam Quintil. IX, 3, 66.

67) cf. Cornif. ad Her. IV, 20, 28: 'Similiter cadens exornatio appellatur' e. q. s. et ibid. 'Similiter desinens est cum' e. q. s. cf. Quintil. IX, 3, 75—78.

68) cf. Keilii adnot. crit. ad Donat. p. 397, 26: 'item — 29 lactis om. L, deleta sunt in P'; atque animadvertas, quod apud Donatum praeterea nusquam duae eiusdem figurae definitiones reperiuntur.

69) quamquam igitur Scaurus in libro 'de orthographia' p. 7 ('ut testantur *μεταπλασμοί*, in quibus est eiusmodi syllabarum diductio, ut 'pictai vestis' et 'aulai medio' pro 'pictae' et 'aulae') 'diductio' vocabulo pro 'discissio' (Donat. et Diomed.) utitur et non exemplum Ennianum (ann. 1, 34),

Digitized by Google

Scauri definitionibus restituendis (vide infra caput V) Donatum nostro iure tamquam ducem sequemur. exempla vero, quae Donatus haud raro breviavit, ita saepe exhibebimus, ut servata sunt apud Diomedem et Consentium. —

---

quo apud Donatum diaeresis illustratur, sed duo protulit exempla Vergiliana (A. 9, 26. 3, 354), quorum prius iteratur apud Charisium, Diomedem, Anonymum de ult. syll., Consentium, alterum apud Diomedem solum: differentiis tamen eiusmodi sententia nostra non refellitur, cum Scauri 'de orthographia' liber non integer servatus sit. praeterea vero, quod ad exempla pertinet, nullam video causam, cur Scaurum in utroque libro eadem adhibuisse credamus.

Digitized by Google

Diomedes 443, 6 sqq. (De schematibus).

Schemata, quae latine figurae vocantur, sicut nomine ipso patet, conformationes sunt quaedam sententiae remotae a communi * hae, ut Quintilianus existimat, adeo tropis ipsa rei natura coniunctae sunt, ut a quibusdam troporum nomen acceperint, sive quod forment orationem sive quod vertant; unde et motus dicuntur. figura igitur est arte aliqua novata forma dicendi. huius partes duas facit, dianoeas, quod est cogitationis et sensus, et logu[70]), quod est elocutionis atque verborum.

Donatus 397, 4 sqq.

Schemata lexeos sunt et dianoeas, id est figurae verborum et sensuum. sed schemata dianoeas ad oratores pertinent, ad grammaticos lexeos. quae cum multa sint, ex omnibus necessaria fere sunt decem et septem. quorum haec sunt nomina:

prolepsis zeugma hypozeuxis syllepsis anadiplosis anaphora epanalepsis epizeuxis paronomasia schesis onomaton parhomoeon homoeoteleuton homoeoptoton[71]) polyptoton hirmos polysyndeton dialyton.

Prolepsis est praesumptio rerum ordine secuturarum, ut:

'continuo reges ingenti mole Latinus' et cetera (Verg. A. 12, 161 sqq.).

Diomedes 443, 12 sqq.

sed cum ad oratorias virtutes pertineat schema dianoeas, nos de eo loquimur, quod schema lexeos dicitur, cuius finitio est talis: schema lexeos est ordo verborum aliter quam debet figuratus metri aut decoris aut emphaseos gratia. *huius species sunt multae, sed necessariae traduntur*, per quas similes colligentur, prolepsis zeugma hypozeuxis syllepsis [asyndeton] anadiplosis anaphora, alia anaphora, epanalepsis epizeuxis paronomasia schesis onomaton parhomoeon homoeoteleuton homoeoptoton polyptoton hirmos polysyndeton dialyton climax.

De prolepsi. Prolepsis est pronuntiatio rerum ordine secutarum, *id est cum ante numerus verbo redditur quam personae definiantur, ut est:*

'continuo reges, ingenti mole Latinus quadriiugo v. c. b. i. T. . . procedunt castris' (Verg. A. 12, 161 sqq.)

et aliter de prolepsi disputatur, cum id quod posterius accidit ante tempus ascribitur, ut 'Laviniaque v. l.' (A. 1, 2); Lavinium enim nondum erat, cum ad Italiam venit Aeneas. et apud Sallustium (hist. I, 9) 'montem sacrum atque Av. i.', qui mons ab hoc, quia illum plebs insederat, postea sacer dictus est.

70) cf. p. 440, 17: 'schemata logu appellantur' et R. Volkmanni 'Hermagoras' p. 269.

71) homoeoptoton post homoeoteleuton praebet et hic et infra cod. Paris., praeterea parhomoeo homoeoteleuton, homoeoptoton polyptoto contrarium est.

Digitized by Google

Quintilianus.

. . . figura, sicut nomine ipso patet, conformatio quaedam orationis remota a communi et primum se offerente ratione (IX, 1, 4). cum sit proximo libro de tropis dictum, sequitur pertinens ad figuras, quae σχήματα graece vocantur, locus ipsa rei natura coniunctus superiori. nam plerique has tropos esse existimaverunt, quia, sive ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo, sive ex eo quod vertant orationem, unde et motus dicuntur, fatendum erit e. q. s. (IX, 1, 1 sq.). ergo figura sit arte aliqua novata forma dicendi (IX, 1, 14). inter plurimos . . . . consensum est, duas eius esse partes, διανοίας, id est mentis vel sensus vel sententiarum . . . et λέξεως, id est verborum vel dictionis vel elocutionis vel sermonis vel orationis (IX, 1, 17).

Charisius 279, 22 sqq.

Schemata lexeos sunt et dianoeas, id est figurae verborum et sensuum. *sed cum ad oratorias virtutes pertineat schema dianoeas, nos de eo loquemur, quod schema lexeos dicitur, cuius finitio est talis: schema lexeos est ordo verborum aliter quam debuit figuratus metri aut decoris causa.*

huius species sunt multae, sed necessariae traduntur [XVIII]

prolepsis zeugma hypozeuxis syllepsis [asyndeton] anadiplosis anaphora epanalepsis epizeuxis paronomasia schesis onomaton parhomoeon homoeoteleuton homoeoptoton polyptoton hirmos polysyndeton dialyton.

Prolepsis est cum ante numerus verbo redditur quam res personaeve finiuntur, ut:

'continuo reges, ingenti mole Latinus quadriiugo v. c. b. i. T. . . . proc. castris' (Verg. A. 12, 161 sqq.).

Sacerdos 455, 3 sqq.

De prolempsi. Prolempsis est cum antequam res vel personae finiuntur, numerus terminatur, ut:

'interea reges . . . . circum' et cetera; iterum: 'et iuxta Ascanius . . . procedunt' (Verg. A. 12, 161 sqq.).

Digitized by Google

Donatus.

Zeugma est unius verbi conclusio diversis clausulis apte coniuncta, ut:

'Troiugena interpres divum qui numena Phoebi Qui tripodas Clari lauros q. s. s.' et cetera (Verg. A. 3, 359).

Hypozeuxis est figura superiori contraria, ubi diversa verba singulis clausulis subiunguntur, ut:

'regem adit et regi memorat nomenque genusque' et cetera (Verg. A. 10, 149).

Syllepsis est dissimilium clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, ut: 'hic illius arma, Hic currus fuit' (Verg. A. 1, 16). hoc schema ita late patet, ut fieri soleat non solum per partes orationis sed et per accidentia partibus orationum.

Anadiplosis est congeminatio dictionis ex ultimo loco praecedentis versus et principio sequentis, ut:

'sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens' (Verg. A. 10, 180).

Diomedes.

De zeugmate. Zeugma est unius verbi conclusio diversis clausulis coniuncta, id est cum duo aut conplura ad unam partem orationis iungenda referuntur. huius autem conclusionis diversitas tribus locis posita indicatur. fit enim aut cum praeponitur unum verbum, ad quod sequentes sensus conferantur, ut est: . . . . (Cic. pro Cluent. 6, 15. cf. Quintil. IX, 3, 62), aut cum in medio sensuum loco positum reperitur, ut est: 'Troiugena interpres d. q. n. Ph. qui tr. Cl. l. q. s. sentis et . . . pinnae' (Verg. A. 3, 359 sqq.); 'sentis' enim verbum tam primis quam ultimis iungitur et ob id mesozeugma nominatur; aut certe cum uno verbo sensus conplures cluduntur, ut est Tullianum: . . . (in Catil. I, 1, 1); conclusit enim uno verbo 'moverunt', unde hypozeugma dicitur.

De hypozeuxi. Hypozeuxis est cum singulae res aut personis subiciuntur aut verbis, ut:

'regem adit et regi memorat nomen decusque quidve petat . . . ferit' (Verg. A. 10, 149—154). hypozeuxis est, ut Scaurus ait, figura superiori contraria, ubi diversa verba singulis iunguntur.

Syllepsis est dissimilium rerum et clausularum per unum verbum conglutinata conceptio.

De syllepsi. Syllepsis est conceptio, *cum singularis dictio plurali verbo* vel posteriori tantum vel ultimo redditur, ut est: 'hic illius arma, hic currus fuit' (Verg. A. 1, 16). *item:* . . . (*Verg. B.* 1, 81 *sq.*).

De anadiplosi. Anadiplosis est cum ultima prioris versus dictio initio sequentis iteratur, ut 'sequitur pulcherrimus Astyr,
Astyr equo fidens' (Verg. A. 10, 180 sq.) anadiplosis est congeminatio dictionis ex ultimo loco praecedentis et principio sequentis.

Digitized by Google

Charisius.

Zeugma est verbum quod in duplici multiplicive sententia aptatur, sed quod omnibus communiter redditur, ut:

'Troiugena i. d. q. n. Ph.
q. tr. Cl. l. q. s. s.' (Verg. A. 3, 359);

verbum enim 'sentis' singulis quibusque debetur. aliis ita placuit zeugma definire 'nihil hominum te fortunae nihil commiserescit meae? finge advenam esse: nihil fraterni nominis solemne auxilium et nomen pietatis movet?' plures sententiae uno verbo cluduntur.

Hypozeuxis est cum singulae res aut personae verbis suis cluduntur, ut:

'regem adit et r. m. n. q. g. q.
quidve ferat q. i. p. . . . ferit' (Verg. A. 10, 149—154).

Syllepsis est cum singularis dictio plurali verbo concluditur, ut: . . . (*Verg. B.* 1, 81), *vel cum pluralis dictio singulari verbo concluditur, ut* 'hic illius a. h. c. fuit' (A. 1, 16); debuit enim dicere 'hic illius arma fuerunt'.

Anadiplosis est cum eadem dictio et in clausula versus et in principio sequentis ponitur, ut:

'sequitur pulch. Astor
Astor e. q. f. e. v. a.' (Verg. A. 10, 180 sq.).

Sacerdos.

De hypozeuxi. Hypozeuxis *est quotiens unum verbum in duplici multiplicive sententia postea applicatur omnibus superioribus respondens, ut est:*

'qui numina Ph.
q. tr. Cl. l. q. s. s.' (Verg. A. 3, 359).

De prozeuxi. Prozeuxis, quae est contraria hypozeuxi, fit hoc modo, cum antea verbum ponitur quod omnia posteriora coniungat, ut: . . . . (Verg. A. 7, 243).

De promesozeuxi. Promesozeuxis, quae constat de prozeuxi et mesozeuxi, fit hoc modo: verba necessaria ante et in medio posita nectunt secum orationem, ut: . . . (Verg. A. 3, 85) e. q. s.

De zeugmate. Zeugma est cum rebus singulis verba necessaria applicantur, ut:

'regem adit et regi memorat' (Verg. A. 10, 149).

De synlempsi prima. *Synlempsis prima fit, cum dictio singularis plurali alligatur,* ut: . . . (Verg. A. 1, 212).

De secunda synl. Secunda synlempsis contraria fit, *cum dictio pluralis singulari concluditur, ut* 'hic il. a. h. c. fuit' (A. 1, 16). — De tertia synl. Synlempsis e. q. s.

De anadiplosi. Anadiplosis est cum ultimum verbum dictionis praecedentis in sequentis principio iteratur, ut:

'sequitur pulch. Astur
Astur e. f.' (Verg. A. 10, 180 sq.)

Digitized by Google

Donatus.

Anaphora est relatio eiusdem verbi per principia versuum plurimorum, ut: 'nate, meae vires m. m. p. s.
nate, patris s. q. t. T. temnis' (Verg. A. 1, 664 sq.).

Epanalepsis est verbi in principio versus positi in eiusdem fine repetitio, ut:
'ante etiam sceptrum D. r. e. ante' (Verg. G. 2, 536).

Epizeuxis est eiusdem verbi in eodem versu sine aliqua dilatione congeminatio, ut:
'me me, adsum q. f. i. m. c. f.' (Verg. A. 9, 425).

Paronomasia est veluti quaedam denominatio, ut:

'nam inceptio est amentium haut amantium' (Terent. Andr. 1, 3, 13).

Schesis onomaton est multitudo nominum coniunctorum quodam habitu copulandi, ut:
'Marsa manus, Peligna coh., Vestina v. v.' (Enn. ann. 8, 280).

Diomedes.

De anaphora. Anaphora est relatio eiusdem verbi aut similis per principia versuum plurimorum, ut:
'nate, meae v. m. m. p. s.
nate, patris s. q. t. T. t. a t. c. e. s. t. n. p.
(Verg. A. 1, 664 sqq.); item: ... (A. 12, 57 sqq.).

Est et secunda anaphora. per quam elocutio non convenienter respondens ad aliud refertur occulte, ut est apud Sallustium (Catil. 18) ....; hic 'de qua' intellegitur de coniuratione.

De epanalepsi. Epanalepsis est cum maiore significatu facta repetitio, ut est in Horatio (carm. II, 14, 1 sq.) ....
et aliter *epanalepsis fit, cum eadem dictio et principium versus et clausulam tenet, ut 'pater ... pater'* (inc. trag. v. 214 R) et 'ante etiam sceptrum D. r. e. ante' (Verg. G. 2, 536) et 'haec navis o. praeda S., c. et i. e. praeda' (Cic. in Verr. act. sec. V, 17, 44. cf. Quintil. IX, 3, 34).

De epizeuxi. Epizeuxis est eiusdem dictionis in eodem versu sine aliqua dilatione geminatio, *cum impetu pronuntiationis, ut:*
'me me, adsum q. f. i. m. c. f.
o R. m. fr. o.' (Verg. A. 9, 425 sqq.).

De paronomasia. Paronomasia est veluti quaedam denominatio, cum praecedenti nomini aut verbum aut nomen adnectitur ex eodem figuratu, ut fugam fugit, facinora fecit, gratas gratias, Creta decreta est, pugna pugnata est.
et aliter *paronomasia fit, cum dictio iteratur, mutata tamen aut littera aut syllaba,* quotiens nomine simili utimur in significatione diversa, ut est apud Terentium (Andr. 1, 3, 13):
'nam inceptio est amentium, haut amantium', *et apud Ciceronem (frg. ex or. inc. 4 ed. Bait. vol. XI,* 34) ...., *et (ibid.)* ..., item (ibid.).

De schesi onomaton. Schesis onomaton est cum singulis nominibus epitheta coniuncta sunt, ut:
'Marsa manus, Peligna coh., V. v. v.' (Enn. ann. 8, 280).

Digitized by Google

Charisius.

Anaphora est cum eadem dictio in principio versuum ponitur, ut:

'nate, meae v. m. m. p. s.
nate, patris s. q. t. T. t.' (Verg. A, 1, 664).

Epanalepsis est cum eadem dictio in principio versus et in clausula ponitur, ut 'pater . . . pater' (*inc. trag.* 214).

Epizeuxis est repetitio dictionis eiusdem
cum impetu pronuntiationis, ut:
'me me, adsum q. f. i. m. c. f.
o R. m. f. o.' (Verg. A. 9, 425 sq.).

Paronomasia est cum dictio iteratur, mutata tamen aut littera aut syllaba,

ut apud Ciceronem (*frg. ex or. inc.* 4) . . ., *et* (*ibid.*) . . .

Sacerdos.

De anaphora. Anaphora est cum idem verbum in principio tam primae quam secundae ponitur dictionis ut:
'nate, meae v. m. m. p. s.
nate, patris s. q. t. T. t.' (Verg. A. 1, 664).

De epanalempsi. Epanalempsis fit hoc modo: idem verbum *ponitur in clausula, quod in principio* dictionis, ut '*pater . . . pater*' (inc. trag. v. 214).

De epizeuxi. Epizeuxis est eiusdem verbi repetitio
cum impetu pronuntiationis, ut:
me me, adsum q. f. i. m. c. f.
o R.' (Verg. A. 9, 425).

De paronomasia. Paronomasia est cum iteratur dictio, litteris vel syllabis demutatis: litteris ut:

'nam inceptio e. amentium, h. amantium' (Terent. Andr. 1, 3, 13); *syllabis, ut Cicero* (*frg. ex or. inc.* 4).

De schesi onomaton. Schesis onomaton est cum singulis nominibus epitheta iunguntur, ut . . . . (Verg. A. 6, 275).

Digitized by Google

Donatus.

Parhomoeon est cum ab isdem litteris diversa verba sumuntur, ut:
'O Tite tute Tati t. t. t. t.' (Enn. ann. 1, 113).

Homoeoteleuton est cum simili modo dictiones plurimae finiuntur, ut 'eos reduci quam relinqui, devehi quam deseri Malui' (Enn. Iphig. frg. 9).

Homoeoptoton est cum in similes casus exeunt verba diversa, ut 'merentes flentes lacrimantes commiserantes' (Enn. ann. 1, 107).

Polyptoton est multitudo casuum varietate distincta, ut:
'litora litoribus contraria fluctibus undas Imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotesque' (Verg. A. 4, 628 sq.).

Hirmos est series orationis tenorem suum usque ad ultimum servans, ut 'principio caelum ac terras camposque linquentes Lucentemque globum lunae Titaniaque astra, Spiritus intus alit' (Verg. A. 6, 724 sqq.).

Polysyndeton est multis nexa coniunctionibus dictio, ut 'Acamasque Thoasque Pelides Neoptolemusque', et cetera (Verg. A. 2, 262 sq.).

Diomedes.

et aliter *schesis onomaton fit cum in conexu vel textu sententiarum plures antonomasiae ponuntur, ut* .... (Verg. A. 11, 483).

De parhomoeo. Parhomoeon est cum verba vel nomina paululum inflexa et tamen prope similia superioribus inferuntur, ut ... (Verg. A. 4, 3 sq.).
et aliter *parhomoeon fit, cum verba similiter incipiunt, ut:*
'machina multa m. m. m. m.'

De homoeoteleuto. Homoeoteleuton est oratio similibus clausulis terminata, id est *pari verborum exitu finita, ut* apud Ennium (Iph. frg. 9) 'eos reduci quam relinqui d. q. d. Malui'; et Sallustius (H. frg. 59 D.) 'in nuda, in tecta corpora'; Vergilius (A. 6, 86) ...
homoeoteleuton est cum simili modo dictiones multae finiuntur.

De homoeoptoto. Homoeoptoton est oratio excurrens in eosdem casus similiter, id est cum uno similique casu totius sensus elocutionis impletur, ut apud Sallustium (H. frg. 102 D.). ...
et aliter homoeoptoton fit cum oratio excurrit in eosdem casus et similes fines, ut Ennius (ann. 1, 107) 'merentes flentes lacrimantes ac miserantes'. item homoeoptoton est cum in similes casus exeunt verba diversa.

De polyptoto. Polyptoton est oratio casuum varietate distincta, ut est in Terentio (Adelph. 3, 4, 9 sqq. ...; item:
'litora litoribus c. fl. undas' (Verg. A. 4, 628).

De hirmo. Hirmus est cum uniformis continuatur series orationis *unius casus tenorem ad clausulam usque custudiens, ut:*
'principio caelum ac ter. c. l. l. q. g. l. T. a. s. i. a.' (Verg. A. 6, 724 sqq.).

De polysyndeto. Polysyndeton est oratio pluribus nexa coniunctionibus, ut ... (Verg. A. 9, 767), item ... (Verg. G. 3, 344 sq.).

Digitized by Google

Charisius.	Sacerdos.
Schesis onomaton est cum in textu plures antonomasiae ponuntur, ut: 'Marsa manus, P. c., V. v. v.' (Enn. ann. 8, 280).	*De parhomoeo.*
Parhomoeon est, cum verba omnia similiter incipiunt, ut: 'O Tite, tute Tati t. t. t. t.' (Enn. ann. 1, 113).	*Parhomoeon est cum* multorum verborum diversorum initia similibus litteris proferuntur, ut .... (Verg. 3, 183), et .... (Terent. Heaut. 1, 2, 35).
Homoeoteleuton est oratio pari verborum exitu finita, ut 'hos reduci q. r. d. q. d. m.' (Enn. Iphig. frg. 9).	*De homoeoteleuto.* Homoeoteleuton, quod contrarium parhomoeo est, fit hoc modo, cum diversae orationis fines isdem litteris terminantur, ut ... (Verg. A. 8, 641).
Homoeoptoton est oratio excurrens in eosdem casus similes, ut:	*De homoeoptoto. Homoeoptoton est oratio excurrens per eosdem casus,* ut ... (Verg. A. 2, 394) et ... (ibid. 2, 262) et ... (Terent. Adelph. 1, 2, 8).
'merentes flentes lacrimantes ac miserantes' (Enn. ann. 1, 107).	
Polyptoton est oratio per plures variata casus, ut:	*De polyptoto. Polyptoton est oratio per plures variata casus, ut:*
'litora litoribus c. fl. u. i. a. a. p. i. q. n. q.' (Verg. A. 4, 628 sq.).	'litora litoribus c. fl. u. deprecor a. a. p. i. q. n. q.' (Verg. A. 4, 628 sq.).
Hirmos est oratio unius tenorem casus ad clausulam usque custodiens ut: 'principio caelum ac t. c. q. l. l. q. g. l. T. a. s. i. a.' (Verg. A. 6, 724 sqq.).	*De hirmo. Hirmos est oratio unius tenoris eosdem casus ad clausulam usque conservans* et rationabilem continens ordinem, ut: 'principio ... intus alit' (Verg. A. 6, 724 sqq.).
Polysyndeton est pluribus coniunctionibus nexa oratio, ut: 'Athamasque Thoasque Pelidesque Neoptolemus primusque M. Et M. et i. d. f. E.' (Verg. A. 2, 262 sqq.) et aliubi (A. 1, 178)	*De polysyndeto. Polysyndeton est oratio plurimis coniunctionibus copulata, ut:* 'Acamasque Thoasque Pelidesque N. p. q. M. e. M. e. i. d. f. E.' (Verg. A. 2, 262).

Digitized by Google

Donatus.

Dialyton vel asyndeton est figura superiori contraria carens coniunctionibus, ut: 'ite, Ferte citi flammas, date tela, impellite remos' (Verg. A. 4, 593 sq.).

Diomedes.

De dialyto sive asyndeto. Dialyton est oratio quae sine coniunctionibus solute ac simpliciter effertur[72]) *nulla coniunctione interposita* superiori contraria, ut 'alii navalibus ite, Ferte citi ferrum, date t., impellite r.' (Verg. A. 4, 593); item 'venimus, vidimus, placuit'[72]) et apud Tullium (fr. 63) 'pertulit, cogitavit'. hoc etiam brachylogia nominatur (cf. Quintil. IX, 3, 50).

Diomedes.

De gradatione. Climax est, quam nostri gradationem vocant, adiectio repetens quae dicta sunt. priusquam enim ad aliud descendat, in prioribus resistit, *hoc est quotiens ab eo, quo sensus superior terminatur, inferior incipitur ac deinceps quasi per gradus idem dicendi ordo servatur, ut est: 'industria parit virtutem, virtus gloriam, gloria inimicitias, inimicitiae pericula.'*

simile est exemplum ex Graeco notissimo translatum: 'non enim dixi quidem, sed non scripsi, nec scripsi quidem, sed non obii legationem, nec obii quidem legationem, sed non persuasi Thebanis' (Demosth. de cor. p. 288). sunt tamen tradita et Latina: 'Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria aemulos conparavit' (cf. Cornif. ad Her. IV, 25, 34). item et Calvus (orat. in Vatin.) . . . .; invenitur quoque apud poetas, ut apud Homerum (Il. II, 101) in sceptro, quod a Iove ad Agamemnonem usque deducit; apud nostrum etiam tragicum (inc. trag. v. 101—103) sic . . . .; haec autem gradatio apertiorem habet artem et magis adfectatam, ideoque rarior esse debet. item apud Vergilium (B. 2, 63 sq.) . . . . —

---

72) cf. Isid. Or. I, 36, 20: Dialyton vel asyndeton figura est, quae e contrario sine coniunctionibus solute ac simpliciter effertur, ut: 'venimus, vidimus, placuit'.

Digitized by Google

Charisius.

Dialyton est sive dialysis *oratio nulla coniunctione interposita, ut:*

'alii navalibus ite, Ferte c. f., d. t., i. r.' (Verg. A. 4, 593), et aliubi: . . . . (inc. trag. v. 84).

Sacerdos.

De dialyto. Dialyton vel asyndeton est dictio sine coniunctione prolata, ut:

'alii navalibus ite, Ferte c. fl., d. t., i. r.' (Verg. A. 4, 593).

Quintilianus IX, 3, 54 sqq.

Gradatio, quae dicitur κλῖμαξ, apertiorem habet artem et magis adfectatam, ideoque esse rarior debet. est autem ipsa quoque adiectionis: repetit enim quae dicta sunt, et priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit: (Isid. Or. II, 21, 3: *Climax est gradatio cum ab eo verbo, quo sensus superior terminatur, inferior incipit ac dehinc quasi per gradus dicendi ordo servatur, ut est illud Africani: 'ex innocentia nascitur dignitas, ex dignitate honor, ex honore imperium, ex imperio libertas'*.) cuius exemplum ex Graeco notissimo transferatur: 'non enim dixi quidem, sed non scripsi, nec scripsi quidem, sed non obii legationem, nec obii quidem legationem, sed non persuasi Thebanis (Demosth. de cor. p. 288). sunt tamen tradita et Latina: 'Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit' (cf. Cornif. ad Her. IV, 25, 34), et Calvi (orat. in Vatin.) . . .; invenitur apud poetas quoque, ut apud Homerum (Il. II, 101) de sceptro, quod a Iove ad Agamemnonem usque deducit, et apud nostrum etiam tragicum (incert. trag. v. 101—103) . . . . —

Digitized by Google

Cap. V.

Q. Terentii Scauri quae supersunt de metaplasmis et de schematibus.

I. De metaplasmis.

1. Metaplasmus est transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem metri ornatusve causa. huius species sunt quattuordecim: prothesis epenthesis paragoge aphaeresis syncope apocope ectasis systole diaeresis episynaliphe synaliphe ecthlipsis antithesis metathesis.

2. Prothesis est appositio quaedam ad principium dictionis litterae aut syllabae: litterae, ut 'cum sociis gnatoque penatibus' (Verg. A. 3, 12) pro nato; syllabae, ut 'tetulit senilis Poeas ad caelum manus' pro tulit.

3. Epenthesis est appositio ad mediam dictionem litterae aut syllabae: litterae, ut 'relliquias Danaum' (V. A. 1, 30) pro reliquias; syllabae, ut Ennius dicit plerumque induperatorem pro imperatore.

4. Paragoge est appositio ad finem dictionis litterae aut syllabae: litterae, ut 'magis' pro mage; syllabae, ut 'potestur' pro potest.

5. Aphaeresis est ablatio de principio dictionis contraria prothesi, ut ait Terentius

---

1. Donat. 395, 27: De metaplasmis. Metaplasmus . . . metathesis. cf. Diomed. 440, 28. Pomp. comm. in Donat. Gr. lat. V, 296, 24. Isidor. Or. I, 35, 1.

2. Donat. 396, 1: Prothesis . . . aut syllabae, ut 'gnato' pro nato, 'tetulit' pro tulit. Diomed. 440, 33: Prothesis . . . dictionis. Consent. 387, 33: prothesis est litterae —, ut 'cum s. gn. q. p.' — item prothesis est syllabae, 'tetulit s. hostis a. c. m.', dixit enim tetulit pro eo quod est tulit. Pomp. 296, 7: 'tetulit s. *Poeas* a. c. m.' Isid. 1, 35, 2.

3. Donat. 396, 3: Epenthesis . . . aut syllabae, ut 'relliquias' pro reliquias, 'induperator' pro imperator. hanc alii epenthesin, alii parenthesin dicunt. Diomed. 441, 5: Epenthesis . . appositio. Consent. 388, 1: Epenthesis est adiectio litterae syllabaeve ad mediam dictionem: litterae . . . imperatore. Pomp. 297, 1. Isid. 1, 35, 2.

4. Donat. 396, 6: Paragoge . . . aut syllabae, ut . . mage et potestur . . potest. hanc alii prosparalepsin appellant. Diomed. 441, 19: potestur pro potest. Consent. 388, 5: Paragoge est, quae eadem (pros)paralempsis dicitur, adiectio litterae syllabaeve ad . . . syllabae — ut potestur pro potest. Pomp. 297, 2: 'magna fieri ratione potestur' (Lucret. 3, 1008 Bern.: . . . expleri nulla ratione potestur). Isid. 1, 35, 3.

5. Donat. 396, 8: Aphaeresis . . . ut 'mitte' pro omitte, 'temno' pro contemno. Diomed. 441,

Digitized by Google

(Adelph. II, 1, 31) 'mitte ista atque ad rem redi' pro omitte, et ut Vergilius (A. 6, 620) 'temnere divos' pro contemnere.

6. Syncope est ablatio de media dictione contraria epenthesi, ut 'audacter' pro audaciter, et Terentius (Phorm. 1, 2, 51) 'commorat' pro commoverat.

7. Apocope est ablatio de fine dictionis paragoge contraria, ut 'Achilli' pro Achillis et 'pote' pro potest.

8. Ectasis est extensio syllabae contra naturam verbi, ut 'Italiam fato profugus' (V. A. 1, 2), cum Italia correpte dici debeat.

9. Systole est correptio contraria ectasi, ut 'aquosus Orion' (V. A. 4, 52), cum Orion producte dici debeat.

10. Diaeresis est discissio syllabae unius in duas facta, ut 'olli respondit rex Albai longai' (Enn. ann. 1, 34).

11. Episynaliphe est conglutinatio duarum syllabarum in unam ⟨syllabam⟩ facta, contraria diaeresi, ut 'Phaethon' pro Phaëthon (Varro Atac.: Tum te flagranti deiectum fulmine Phaethon. cf. Quintil. 1, 5, 17), 'Nerei' pro Nerëi (Verg. A. 8, 383: arma rogo, genetrix nato . te filia Nerei) et 'fixerit aeripedem cervam licet' (V. A. 6, 802) pro aëripedem.

12. Synaliphe est per interceptionem concurrentium vocalium lubrica quaedam lenisque conlisio, ut 'atque ea diversa penitus dum parte geruntur' (V. A. 9, 1). haec a quibusdam syncrisis nominatur.

22: Aphaeresis ... prothesi — ut 'temnere ... contemnere'. Consent. 388, 11: ut ait .. omitte; syllaba, ut V. ... contemnere. Pomp. 297, 8. Isid. 1, 35, 3.

6. Donat. 396, 10: Syncope ... audaciter, 'commorat' pro commoverat. Diomed. 441, 27: Syncope ... epenthesi. Consent. 388, 14: ut cum dicimus 'audacter' pro audaciter — et Terentius ... commoverat.

7. Donat. 396, 11: Apocope ... potest. Diomed. 441, 31: Apocope ... dictionis prosparalepsi vel paragoge contraria. Consent. 388, 21: Apocope est * litterae, ut ... Achillis. Pomp. 297, 11.

8. Donat. 396, 14: Ectasis ... debeat. Diomed. 442, 1: Ectasis est extensio. Quintil. 1, 5, 18. Consent. 389, 1. Pomp. 297, 17. Isid. 1, 35, 4.

9. Donat. 396, 16: Systole ... debeat. Diomed. 442, 5: Systole ... ectasi — item 'aquosus Orion'. Consent. 389, 8: ut est 'aquosus Orion', cum prima Orionis syllaba utique longa sit, ut alibi et 'c. Oriona' (Verg. A. 3, 517). Isid. 1, 35, 4.

10. Donat. 396, 18: Diaeresis .... longai. Diomed. 442, 11: Diaeresis ... duas divisae. Pomp. 297, 30. Isid. 1, 35, 4. cf. supra adnot. 69.

11. Donat. 396, 20: Episynaliphe ... Nerëi, 'aeripedem' pro aëripedem. Diomed. 442, 20: Epis. e. c. seu contractio d. ... ut 'fixerit aeripedem c. l.' Consent. 389, 18: Episyn. .... facta, ut cum dicitur 'Phaethon' pro Ph. et 'Marcipor' pro puer e. q. s. Pomp. 298, 6. Isid. 1, 35, 5.

12. Donat. 396, 23: Synaliphe ... nominatur. Diom. 442, 15: Synaliphe est conlisio quae fit — ut 'atque ea ... geruntur' — haec ... nominatur. Consent. 389, 32: Synaliphe est vel syncrisis —, ut est illud 'atque ... geruntur'. * Pomp. 298, 16. Isid. 1, 35, 5.

Digitized by Google

13. Ecthlipsis est consonantium cum vocalibus aspere concurrentium quaedam difficilis ac dura conlisio, ut 'multum ille et terris iactatus et alto' (V. A. 1, 3).

14. Antithesis est litterae pro littera positio, ut 'olli' pro illi.

15. Metathesis est translatio litterarum in alienum locum, nulla tamen ex dictione sublata, ut 'Euandre' pro Euander, 'Thymbre' pro Thymber (cf. V. A. 10, 394).

II. De schematibus.

1. Schemata lexeos sunt et dianoeas, id est figurae verborum et sensuum. sed schemata dianoeas ad oratores pertinent, ad grammaticos lexeos. quae cum multa sint, ex omnibus necessaria fere sunt decem et septem, quorum haec sunt nomina: prolepsis zeugma hypozeuxis syllepsis anadiplosis anaphora epanalepsis epizeuxis paronomasia schesis onomaton parhomoeon homoeoteleuton homoeoptoton polyptoton hirmos polysyndeton dialyton.

2. Prolepsis est praesumptio rerum ordine secuturarum, ut: 'continuo reges, ingenti mole Latinus Quadriiugo vehitur curru, bigis it Turnus in albis, Tum pater Aeneas, Romanae stirpis origo, Et iuxta Ascanius, magna spes altera Romae, Procedunt castris' (V. A. 12, 161 sqq.).

3. Zeugma est unius verbi conclusio diversis clausulis apte coniuncta, ut: 'Troiugena, interpres divum, qui numina Phoebi, Qui tripodas, Clari lauros, qui sidera sentis' (V. A. 3, 359 sq.).

4. Hypozeuxis est figura superiori contraria, ubi diversa verba singulis clausulis subiunguntur, ut: 'regem adit et regi memorat nomenque genusque, Quidve ferat quidve ipse petat, Mezentius arma Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni Edocet, humanis quae sit fiducia

---

13. Donat. 396, 27: Ecthlipsis . . . alto. Diomed. 442, 25: Ecthlipsis est conlisio quaedam dif. ac d. consonantium cum voc. asp. conc., ut est 'multum . . . alto'. Consent. 390, 13. Pomp. 298, 29. Isid. 1, 35, 6.

14. Donat. 397, 1: Antithesis . . . illi. Diom. 442, 28. Consent. 390, 16. Pomp. 298, 31. Isid. 1, 35, 6.

15. Donat. 397, 2: Metathesis . . . Thymber. Diomed. 442, 31. Consent. 390, 18: Metathesis est cum — in alium locum littera transfertur, ut cum dicimus 'Timbre' pro Timber et 'Euandre' pro Euander. Pomp. 299, 11. Isid. 1, 35, 6.

1. Donat. 397, 4: De schematibus. Schemata . . . dialyton. cf. Charis. 279, 23 sqq. Diomed. 443, 5 sqq.

2. Donat. 397, 12: Prolepsis . . . Latinus et cetera. Diomed. 443, 21: Prol. est pronuntiatio r. o. secutarum, — ut est 'continuo . . castris'. Pomp. 301, 1. Isid. 1, 36, 2.

3. Donat. 397, 15: Zeugma . . . sentis, et cetera. Diomed. 444, 4: Zeugma . . . claus. coniuncta.

4. Donat. 397, 19: Hyp. . . . genusque, et cetera. Diomed. 444, 29: Hyp. est, ut ait Scaurus, figura . . . singulis iunguntur. ibid. v. 23: ut 'regem . . . . ferit'. Pomp. 301, 23. Isid. 1, 36, 4. Beda p. 608, 21 ed. Halm. rhet. lat.

Digitized by Google

rebus Admonet admiscetque preces. haud fit mora, Tarchon Iungit opes foedusque ferit' (V. A. 10, 149 sqq.).

5. Syllepsis est dissimilium clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, ut: 'hic illius arma, Hic currus fuit' (V. A. 1, 16).

6. Anadiplosis est congeminatio dictionis ex ultimo loco praecedentis versus et principio sequentis, ut: 'sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens' (V. A. 10, 180 sq.).

7. Anaphora est relatio eiusdem verbi per principia versuum plurimorum, ut: 'nate, meae vires, mea magna potentia solus, Nate patris summi, qui tela Typhoëa temnis' (V. A. 1, 664 sq.).

8. Epanalepsis est verbi in principio versus positi in eiusdem fine repetitio, ut: 'ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante' (V. G. 2, 536).

9. Epizeuxis est eiusdem verbi in eodem versu sine aliqua dilatione congeminatio, ut: 'me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum, O Rutuli, mea fraus omnis' (V. A. 9, 425).

10. Paronomasia est veluti quaedam denominatio, ut est apud Terentium (Andr. 1, 3, 13): 'nam inceptio est amentium, haut amantium'.

11. Schesis onomaton est multitudo nominum coniunctorum quodam habitu copulandi, ut: 'Marsa manus, Peligna cohors, Vestina virum vis' (Enn. ann. 8, 280).

12. Parhomoeon est cum ab isdem litteris diversa verba sumuntur, ut: 'o Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti' (Enn. ann. 1, 113).

13. Homoeoteleuton est cum simili modo dictiones plurimae finiuntur, ut apud Ennium (Iphig. frg. 9): 'eos reduci quam relinqui, devehi quam deseri Malui'.

---

5. Donat. 397, 23: Syllepsis . . . fuit. hoc schema ita late patet, ut fieri soleat non solum per partes orationis sed et per accidentia partibus orationis. Diomed. 445, 3: Syl. e. d. rerum et cl. . . . conceptio. ibid. 444, 33: 'hic ill. . . fuit'. Pomp. 301, 28; 36. Isid. 1, 36, 5.

6. Donat. 398, 1: Anadiplosis . . . fidens. Diomed. 445, 9 sqq. Pomp. 302, 30. Beda p. 609, 4.

7. Donat. 398, 5: Anaphora . . . . temnis. Diomed. 445, 13: Anaphora . . . verbi aut similis per . . . temnis. Pomp. 302, 35. Isid. 1, 36, 8. Bed. 609, 10.

8. Donat. 398, 9: Epanalepsis . . . . et ante. Diomed. 446, 6: ante . . . et ante. Pomp. 303, 5. Isid. 1, 36, 11. Bed. 609, 19.

9. Donat. 398, 12: Epizeuxis . . . ferrum. Diomed. 446, 9: Ep. e. e. dictionis in . . . . geminatio, ut me me . . . omnis. Pomp. 303, 10. Isid. 1, 36, 10. Bed. 609, 23.

10. Donat. 398, 15: Paronomasia . . . ut: nam . . . . amantium. Diomed. 446, 13: Paronomasia . . . denominatio. ibid. v. 18: ut est . . . . amantium. Pomp. 303, 14. Beda 609, 29.

11. Donat. 398, 17: Schesis . . . vis. Diomed. 446, 26: Marsa . . . vis. Pomp. 303, 21. Isid. 1, 36, 13: Schesis . . . quodam ambitu copulata. Beda 610, 3.

12. Donat. 398, 20: Parhomoeon . . . . tulisti. Pomp. 303, 28. Isid. 1, 36, 14. Beda 610, 8.

13. Donat. 398, 24: Homoeoteleuton . . . ut: eos . . . malui. Diomed. 447, 11: Homoeoteleuton . . . multae finiuntur. ibid. v. 6: ut apud . . . malui. Isid. 1, 36, 18.

Digitized by Google

14. Homoeoptoton est cum in similes casus exeunt verba diversa, ut Ennius (ann. 1, 107): 'merentes flentes lacrimantes commiserantes'.

15. Polyptoton est multitudo casuum varietate distincta, ut: 'litora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque' (V. A. 4, 628 sq.).

16. Hirmos est series orationis tenorem suum usque ad ultimum servans, ut: 'principio caelum ac terras camposque liquentes Lucentemque globum lunae Titaniaque astra Spiritus intus alit' (V. A. 6, 724 sqq.).

17. Polysyndeton est multis nexa coniunctionibus dictio, ut: 'Acamasque Thoasque Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon Et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos' (V. A. 2, 262 sqq.).

18. Dialyton sive asyndeton est figura superiori contraria carens coniunctionibus, ut: 'ite, Ferte citi flammas, date tela, impellite remos' (V. A. 4, 593 sq.).

---

14. Donat. 398, 22: Homoeoptoton . . . commiserantes. Diomed. 447, 19: Homoeoptoton . . . diversa. ibid. 17: ut Ennius . . . ac miserantes. Pomp. 304, 4. Bed. 610, 28.

15. Donat. 398, 27: Polyptoton . . . nepotesque. Diomed. 447, 20: Pol. e. oratio c. v. d., ut — litora . . . undas. Pomp. 304, 12.

16. Donat. 398, 30: Hirmos . . . alit. Diomed. 447, 28: Hirmos est cum uniformis continuatur series orationis unius casus tenorem ad clausulam usque custodiens, ut: principio . . . alit. Pomp. 304, 18. Isid. 1, 36, 18. Bed. 611, 4.

17. Donat. 399, 4: Polysyndeton . . . Neoptolemusque et cetera. Charis. 283, 2 et Sacerd. 455, 33: Acamasque . . . Epeos. Pomp. 304, 25. Isid. 1, 36, 19. Bed. 611, 10.

18. Donat. 399, 8: Dialyton . . . remos. Diomed. 448, 5: Dialyton est oratio — superiori contraria, ut: alii navalibus ite . . remos. Pomp. 304, 29. Bed. 611, 14 sq.

Digitized by Google

Vita scriptoris.

Hermannus Ferdinandus Kummrow natus sum in vico Zwilipp, prope Colbergam sito, a. d. XIII Cal. Octob. a. 1855 patre Christiano et Sophia matre, quibus parentibus superstitibus valde gaudeo. fidei addictus sum evangelicae. litterarum primordiis in ludo litterario Zwilippensi imbutus a. 1868 receptus sum in sextam classem gymnasii Colbergensis, quod tum P. Schmiederi auspiciis florebat, cuius viri eruditio egregia praecipue iniecit mihi amorem litterarum graecarum. tempore paschali a. 1876 maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli, ut studiis me darem philologicis. ibi per unum semestre scholis interfui virorum cll. Teuffelii, Schwabii, Koestlini, Kugleri. deinde universitatem Gryphiswaldensem adii ibique scholas frequentavi virorum ill. Hoeferi, Kiesslingii, Luetiohanni, Preuneri, Reifferscheidii, Schuppii, Susemihlii, Vogtii, de Wilamowitzii. seminarii philologici moderantibus Kiesslingio et Wilamowitzio sodalis fui extraordinarius tria semestria, item tria ordinarius. praeterea exercitationibus interesse mihi licuit metricis a Wilamowitzio, aristotelicis a Susemihlio, archaeologicis a Preunero, grammaticis a Luetiohanno, philosophicis a Schuppio, germanisticis a Reifferscheidio et Vogtio institutis.

Omnibus quos nominavi viris doctissimis, imprimis vero Kiesslingio et de Wilamowitzio gratias ago semperque habebo quam maximas.

Digitized by Google

Sententiae controversae.

1. Ex iis, quae Charisius p. 164, 13 sqq. 'de verbo' exposuit, **Cominiano non solum initium**, id quod Schottmuellerus coniecit, sed etiam p. 167, 23—168, 4 et 168, 12—18 tribuenda sunt.
2. Diomedes p. 395, 11—397, 10 ('de speciebus verborum') secutus **est R. Palaemonem.**
3. Grammaticum, quem Quintilianus I, 6, 35 nominare veretur, **R. Palaemonem fuisse** cum Burmanno consentio.
4. In Liv. XLII, 47, 5 scribendum est: denuntiare etiam interdum **fines, in quibus (cod.:** finire, in quo) dimicaturi essent.
5. In Isaei orat. V. § 26 scribendum est: *τὴν ἀδελφὴν τὴν* ***Δικαιογένους*** **(pro** *τὴν ἑαυτοῦ*).
6. ibid. § 7 '*οὐσῶν δικῶν*' defenderim contra Naberi coniecturam '***πολλῶν οὐσῶν δικῶν***'.
7. Sophocl. Antig. v. 1035: *τῶν δ' ὑπ' ἐγγενῶν* (pro *ὑπαὶ* ***γένους***) **scribendum esse** conicio.

Ienae, typis Ed. Frommanni.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

YE 00140

498605

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google